







[Faint, illegible handwriting on a blank page]

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.



1691.

1. Albinus, Bernhardus: De pica.
2. Albinus, Bernhardus: De herentibus.
3. Barkrodti, Fridericus Tacitus: De jure iustitiae.
4. Cocceji, Henricus: De suggestionibus earumque jure.
5. Cocceji, Henricus: De obligatione heredis ex testamento defuncti.
6. ^{ant} Cocceji, Henricus: De postliminio in pace et amnestia. 2 Exempl. 1691 à 1712.
7. Cocceji, Henricus: De fallacibus criminum iudiciis. 3 Exempl. 1691 à 1716.
8. ^{ant} Cocceji, Henricus: De clausulis testamentarum. 2 Exempl. 1691 à 1735.
9. Dienel Wolff, Gustavus: De potestate statuum imperii protestantium circa matrimonium subditorum.

10. Schoepfferus, Johannes Fructuosus: De atramento
11^a ^{nt} = Schultze, Petrus: Di. nova emergenti. 2 Exempl. 1691
12. Schultze, Petrus: De pluralitate futurum. 1743:
13. Schultze, Petrus: De beneficiis invito dato.



12. DISPUTATIO JURIS GENTIUM,
DE

Pr. S. num. 18.

POSTLIMINIO
IN PACE, 1691, 66

ET

AMNESTIA,

Quam
DEO ANNUENTE,

PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO, PRÆNOBILISSIMO, CONSUL-
TISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO

DN. HENRICO COCCEJO,
JCTO FAMIGERATISSIMO,

SERENISSIMI ac POTENTISSIMI ELECTORIS BRAN-
DENBURGICI CONSILIARIO, FACULTATIS JURIDICÆ OR-
DINARIO, & PROF. PRIM.

ANTEA

SUMMI REGIMINIS ELECTORALIS PALATINI CONSI-
LIARIO, & SUPREMI COLLEGII REVISORII ASSESSORE, IN
ALMA HEIDELBERGENSI DECRETAL. PANDECTAR. & JU-
RIS GENT. P. P. ORDINARIO MERITISSIMO,

AD DIEM XXII. AUGUSTI AN. O. R. MDCXCI.


Placido Eruditorum Examini submittet

JOHANNES FRIDERICUS HORNIG,

Hallâ Saxo. A. & R.

Francofurti ad Viadrum, Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

Denuo recusa 1712.



DISPUTATIO JURIS GENTIUM
DE
POSTLIMINIO
IN PACE
ET
AMNESTIA

QUM
DNO ANNUNTIATA
PRÆSIDI
DNI. HENRICO COCCIO

Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





B. L. S.

Offertur disputatio de jure oblivionis, quæ voce simpliciter sumptâ, ipsa haud titulo se cõmendabit; vix enim accederet aliquis, cui olim molesta præceptorum manus oblivionem non reddidit odiosam; aut qui nunc non doleat quod omnium recordari nequeat. Sed maximam perlegens invenies differentiam; ita ut, cum illam, ut defectum animi vituperaveris, nostræ contra utilitatem in publicum incredibilem prædicaturus sis. Est equidem hæc bona oblivio non boni sed mali, scilicet injuriarum, adedò rara, ut post lapsum elapsum quasi hominibus dixeris, & in Mundo vix mundum à studio vindictæ inveneris. Generalem obliviscendæ injuriæ disciplinam, quâ nulla alia generosior est virtus, cum apud alios satis laudata sit, ego in exordio paucis attigi; species verò hujus cum se offerat Amnestia injuriarũ bello factarum, à quibusdam libata, à nullo ex professo tractata, dignam judicavi, quæ propositæ disputationis thema existeret. Sed ut ordinem scias, B. L. habebis in sequentibus primò jura, quæ pace inita, at partibus non reconciliatis, è bello remanent. Morbos pacis hæc non inique dixeris, imò ipsam hanc pacem propter varias rixas & altercationes

) (

nes

nes ex denegata restitutione rerum amotarum & jurium
inter utrosq; cives orientes, bellum. Postea verò vide-
bis saluberrimos Amnestiæ nostræ effectus, & miraberis
tanquam panaceam omnes eos politicos morbos sanan-
tem. Ipsa Germania nostra, nunc theatrum Martis, bre-
vi exemplum sit velim: maximè enim hætenus vulnera-
ta, & ab effuso suo nobili sanguine ferè exangvis, in
pace vulneribus suis quæret emplastra, in amnestia no-
stra medicamentorum fructum sentiet. Mihi itaq; hæc
saluberrima pacis jura, pro viribus demonstrare placuisse,
tibi, B. L. non displicebit. Potuissim quidem ex ci-
vilis juris materiis eligere aliquam, sed de iis quotidianæ
instituantur disputationes, & postquam parum temporis
solida informatione Magnifici Domini Præsidis, veri &
incomparabilis Juris naturæ & Gentium, nec non civilis
Antistitis, annuente fortuna frui sum, maximè prioris
studii excellentia arrisit, nec facile quisquam fateri gra-
vabitur, fundamentū illud esse, cui hujus in ædificata moles
firma hætenus stetit, & cum hoc Subditos regat, regen-
tibus illud imperare. Excipe itaq; benigne oblatum, B. L.
& si me lapsū invenies, corrige pro humanitate tua, cum
tibi ipsi fatendum sit, mortales esse tales, à quibus perfectū
sperari nequeat, eorumque acta supra omnem censuram
asserere, idem sit, ac dicere esse Solem & Pardū sine macu-
lis, Manucodiatam cum pedibus, vel, ut vulgus amat,
quatuor sic dicta elementa esse corpora simplicissima &
omnium corporum principia. Vale & fave.

PRÆ-



PRÆFATIO.

SUMMARIA.

1. **H**omines beneficiorum esse immemores, odiorum tenacet.
2. Præcipuos odiorum fomites esse bella.
3. Ea eorumq; vindictam omnem pace non tolli, sed de iis transigi solere per Amnestiam: Hanc nec tractatam adhuc fuisse, nedum ex Jure Gentium expositam.
4. Postliminii in pace cum Amnestia connexio. Ordo tractandi. Consensio Juris Gentium & Romani.

I.

ITa comparatum est cum hominibus non natura, sed vitio suo, ut facillima inter eos sit oblivio beneficiorum, difficillima injuriarum, omninoque malint meminisse offensarum, quarum nomine ipsis alii tenentur, quam officiorum, ad quæ ipsi aliis. Adeo in lucro ponitur vindicta, in damno gratiæ relatio! Non semel hos mortalium mores graviter notat Dion. Casl., eamq; causam affert, cur ab omnibus deserti fuerint, cum Cicero, qui oratione omnes lacesiverat, Dion. *Lib. 38. Hist. Roman.* tum Senatus Romanus, qui decretorum inconstantia omnes offenderat. D. Casl. *lib. 46.*

II. Quod si offensus uncula quædam adeo mordet,

A

quæ

(2.)

quæ tandem indignatio, quæ odii, irarum, vindictæq;
rabies bello concitabitur, quo in patriam, in sacra, in
bona fortunâq;, in nostra & conjugum ac liberorum
nostrorum corpora vitamq; lævitur, omniumq; vasti-
tas paratur? Hinc, qui morsus! Equidem Claudius Cæ-
sar, etsi deditio Mithridatis, hostis potentissimi, ipsi
offerretur, dubitavit tamen, accipere captivum capto salu-
tis, an repetere armis rectius foret; quia dolor injuriarum
& libido vindictæ eum adigebat, uti Tacitus loquitur
12. Ann. c. 20. Unde, ut facillime pax bello mutetur,
at difficillime bellum pace: quemadmodum proclivis-
simum est navigantibus, in Syrtes, in Scillam Charyb-
dimque incidere, at tantum non impossibile, inde emer-
gere. Ira prudenter legati Philippi bellum incendio
comparant, quod si quis semel excitaverit, *ἐάν τὸ λοιπὸν
ἴπῃ τῆ ἰστίᾳ παραπέσει γίνεσθαι τὸ συμβᾶνον* quicquid de
cætera fieri contingit, non amplius in ejus arbitrio positum
est. Polyb. Hist. XI. c. 4.

III. Nec pace omnia coalescunt bellorum vulnera,
sed supersunt è bello, etiam facta pace, jura postli-
minii, aliaque vindictæ genera, odiorumq; ac ulcera-
tionem vestigia, de quibus seorsim transigi, mos, fas,
piumque est. Quod & Tacitus commendans; *Bello-
rum*, ait, *egregii fines sunt, quoties ignoscendo transigitur*,
lib. 12. An. c. 19. Iis vero abolendis, cum adhiberi ho-
die inter Christianos soleat vetus & saluberrima *A-
mnestia* clausula, eam materiam, quam (etsi Bœclerus,
Mevius, & paucissimis Boxhornius discursum hoc no-
mine ediderint) nondum tractatam, nedum ex Jure
Gentium expositam fuisse ex collatione sequentium,
apparebit, operæ pretium visum est; hic compendio
exhibere.

IV. De

IV. De jure vero Postliminii etsi magis pervagati sit quæstio; tamen de eo, quod in pace obtinet, parum tractatum est. Id autem Jus cum moderetur Amnestia, atq; ex eodem capite utraq; quæstio ducatur, præmittemus, & initio jura illa, quæ in pace ex bello reliqua sunt, ordine exponemus in Sect. 1. 2. & 3. tum deinde, qua ratione de iis per amnestiam transfiguratur, Sect. 4. & seqq. ostendemus. Illa jura sunt quasi morbi pacis, quorum genera referuntur, tum remedium amnestiæ singulis adhibetur, & utrumq; ad jus gentium exitur. Ex quo periculum fit summi illius consentus, qui est inter Jus Gentium & Romanum, etiam cum ab invicem discedunt: una enim apparebit utilitas illa, & ratio civilis, quæ jus gentium à civili distinxerit.

SECTIO I.

PRÆMITTIT GENERALIA.

- | | |
|---|---|
| 1. D efinitio belli. | 5. Nisi tales, qui omnium judicio illiciti sunt. |
| 2. Convenientia belli cum judicio inter privatos ostenditur. | 6. Quid pax fit? |
| 3. Naturam omnis contentio- nis esse, ut quæq; pars sibi jus tribuat, adversario neget: idq; dici hic JUDICIUM PARTIS. | 7. Hinc infertur (I) per pacem non decidi jus causæ, sed tantum de ea transigi. |
| 4. Actus utriusq; partis belli gerantis à gentibus pacatis pro justis haberi. | 8. (II) Pacis naturæ non inesse amnestiam. |
| | 9. Refutantur dissentientes. |
| | 10. Ostenditur, pacta, etiam vi metuq; extorta, jure gentium obligare; & alterum teneri |

(4.)

<p>teneri ex pacto, alterum vicissim ex vi injusta.</p> <p>II. Quae sit vis injusta.</p>	}	<p>12. Refutantur, qui statuunt fidem hosti armis extortam non obligare.</p>
--	---	--

I.

BELLUM in genere est qualibet per vim decertatio Cic. I. Off. c. 34. quâ voce non actus (ut Grotius putat) sed jus seu legitima facultas notatur; uti id solenne est hujusmodi vocibus, cum primis in jure. arg. l. 51. de Obl. & act. Hic autem intelligitur bellum publicum, seu decertatio per vim publica, quæ est de causa inter summas potestates controversa. arg. l. 24. de Capt. & postl.

II. Bellum verò inter summas potestates, cum aliù illæ judicem non habeant, idem est, quod iudicium inter privatos. Utrumq; est de negotio aliquo dubio seu controverso inter partes, (adeoq; semper legitimum certamen partium significat;) de quo illæ disceptant armis; hi apud Judicem.

III. Hinc, uti in omnibus judiciis & disceptationibus, ita in bello, quæq; pars sibi jus asserit, adversario negat; & uterq; se jure, adversarium injuriâ agere; uterq; sua arma justa, hostium injusta; uterq; deniq; quoties ipse bello quid agit, capit, lædit, id jure; quoties hostis, injuria fieri; & sibi soli, non hosti, jus ex actibus bellicis nasci contendit. Atq; hæc est natura omnis disceptationis seu contentions, quippe quæ in contradictione consistit. Uti cum Salustius in bell. Catil. in princ. inquit: *Diu magnum inter mortales certamen fuisse, vine corporis, an virtute animi magis procederet?* certamen id in contradictione partium consistit. Hoc autem

(5.)

autem iudicium cuiusq; partis, quo ab invicem dis-
sident ac disceptant de iustitiæ belli & actuum bellico-
rum, valet intra partis ejus, quæ id statuit, fines,
& civitatis illius, seu imperii limites; ita ut, si intra ho-
stis ejusve amicorum fines res peragenda definiendaq;
fit, hostilis; si intra nostros, amicorumve nostrorum
limites, nostri iudicii valitura sit autoritas, cum neu-
tra alium iudicem habeat: cuiusq; vero partis amici
& focii eandem cum ipsa causam, idemque iudicium
sequantur. Atq; hanc contentionem partium, quæ
alium iudicem non habent, sed jus armorum, nos
Judicium Partis dicemus in processu.

IV. Econtrariò reliqui Populi, qui neutri partium
addicti sunt, quicquid utrinq; in bello fit, pro jure ha-
bent, nihilq;, quod armis ab utraq; parte agitur, pro
injuriâ: neq; enim cognoscere aut statuere de injusti-
tia partium jure possunt, qui earum iudices non sunt:
neq; partes, quæ iudicem non habent, injuriæ ab aliis
convinci vel condemnari. Necesario igitur utriusq;
partis factum, quod vi armorum peragitur, apud o-
mnes reliquas gentes pro jure erit: quia justum id ha-
betur, cujus injustitia doceri non potest; id vero in re
controversia rite fieri sine iudice nequit. Quin hoc
ipso, quod gens aliqua factum partis improbarer, ho-
stium rationem indueret, & delineret esse media, quia
adversæ partis causam iudiciumq; sequeretur. Atq;
hoc iudicium gentium pacatarum in ipsarum territo-
riis, dum ibi res peragenda est, obtinet. Hoc ipsum
verò principium esse, quo nititur quoq; Jurisprudentia
Romana, patet ex *L. 19. in fin. princ. L. 12. §. 9. de Capt. & postl.*
Conf. Sect. 2. ubi constabit universum jus postliminiâ
Romanis Jctis ex hoc principio constitutum fuisse.

A 3

V. Se-

V. Secus ergo est, si tale factum sit, quod communi jure gentium, omniumq; judicio licitum; vel illicitum habetur; uti si Vasallus hosti contra Dominum suum ferviat. In iis enim non contradicunt sibi judicia partim, sed conveniunt: idq; pro jure vel injuriâ unanimi omnium suffragio habetur, nec unius gentis judicium alteri præfertur.

VI. PAX est *transactio de causâ inter summas potestates controversâ*. Pax enim de eodem negotio inicitur, de quo bellum erat, vel metuebatur, uti in privatorum litib; de eo transigitur, de quo lis erat, vel litis metus *L. 65. §. 1. de Cond. indeb. L. 2. C. de Transact.* Uti ergo bellum est de causa inter summas potestates controversa; ita de eadem & pax fit.

VII. Hinc notamus I. per pacem non decidi jus partium seu causarum justitiam, quia de ea transigitur saltem per pacem; *Th. 6.* aliud autem est decisio, aliud transactio: per hanc enim quod quisq; consequitur non jure causæ suæ, sed ex libera conventionione partis adversæ percipit: neq; per transactionem deciditur jus causæ, sed in medio relictum remittitur.

VIII. Hinc II. pace simpliciter facta non continetur transactio de damnis atq; injuriis pendente bello factis: pax enim sola & nulla adventitiarum passionum accessione tincta, tantum est transactio de causis belli; *per Th. 6.* adeoq; damna, injuriasq; durante bello factas nativo suo ambitu non complectitur: aliud enim sunt injuriæ ac damna, quæ bello fiunt, aliud belli causa; illa cœptum bellum sequuntur, hæc ante bellum est, & bello prior: ex illis bellum nascitur, hæc ex bello; illæ ad privatos quoq; pertinent, hæc publica est. Transactio igitur de altera causa ad alteram extendi nequit.

Finge

(7.)

Finge: Controversum fuit inter duos Principes Jus navigandi, ut hoc seculo inter Christinam Svedicæ, & Christianum IV. Daniæ Reges navigatio per fretum Oresundicum, & Balthicum; Hæc causa belli fuit, ut dicitur in pace facta An. 1645. apud Loccen. in *Hist. Sved. pag. 867.* De hac causa seu lite ita per pacem transactum est, ut utraq; pars ceteris legibus navigaret, quæ pax est apud Loccen. *d. l.* cum hac transactione nihil commune habet, quæstio de damnis atque injuriis in bello invicem illatis, de quibus proinde nondum videtur transactum. Neque verò ex hoc pacto Principum de causa publica interposito, privati qui damnum passi sunt, vel obligantur ad res suas remittendas, vel jus acquirunt ad perfequendas: quippe quæ & alia causa est & inter alios, nec quicquam de iis in pace, ut ponimus, dictum est. Denique, cum damna ea naturaliter ferre debeat, qui non justam causam bellandi habuit, de justitia aut probabilitate causæ belli nihil in pace deciditur, sed utrinque transigitur, per *Th. 6.* Non ergo ex pace inferri aut cognosci potest, urrū reparanda sint belli damna, an remittenda; sed particulari ad id pactione opus est. Et alias non potest pace facta superare jus postliminii, si ipsa pace transactum jam esset de damnis privatorum; quod tamen durare patet ex *L. 12. pr. Capt.* Atque hæc causa est, cur populorum, istorum, inter quos bellum erat, cives, ne quidem pace facta liberum commercium mutuam haberint, aut tutò commeare potuerint, nisi jus hospitii cum ipsis vel amicitia contracta fuisset, uti infra, in explicatione *L. 5. §. 2. eod.* demonstrabimus. Uti & hæc causa est, cur plerumque in tabulis pacis nontantum de causa belli, & lite ipsa, sed & de damnis & inju-

injuriis, pendente bello illatis, & utriusq; subditis tam sollicitè & prolixè nominatim quoq; caveri soleat. Idq; progressus disputationis luculentissime confirmabit.

IX. Vehementer igitur errant, qui ipsa pacis naturâ contineri Amnestiam seu transactionem de damnis ac injuriis bello factis existimant, ut Gudelinus *Comm. de Jure Pacis cap. 3.* qui ait: *In eâ re* (scil. amnestia) *constitit substantia pacis, & absque illa nequit esse pax: atque adeo paci inesse ista Lex intelligitur, quamvis nominatim dicta non fuerit.* Cum eo, verbis quoq; ipsius descriptis, consentit Besoldus *Diss. Jurid. Pol. de Pace c. 3. §. 6.* At non ita secum: nam *in §. 1. §. 4. d. tract.* bis separat ac distingvit à pace transactionem de damnis, & iis, quæ bello passi sunt: quæ argumento sunt, nec pacis nec amnestiæ rationem satis perspectam esse. Ita Mevius, JCrus, insignis, *Amnestiam*, ait, *esse legem pacis naturalem, & naturaliter paci inesse, part. 2. dec. 24. n. 1.* Quo errore quoq; imbutus Grotius *de J. B. & P. lib. 3. c. 20. §. 11. & seqq.* quem alii sequuntur, quærit: *Pace simpliciter facta absque mentionem damnorum & injuriarum, an id actum videatur, ut res in eo, quo sunt, maneat loco, an ut ad initium belli redigantur?* Qua re plura peccari videntur: tum quod istam paci inesse ponit; tum quod alterutrum statuendum putat, vel remitti damna vel restitui, cum aliud juris esse possit, uti jus postliminii &c. tum denique, quod quædam de jure postliminii &c. erroneè inde deducit; ut ex dicendis perspicuum erit. Eò minus verò dissimulandus est hic error, quo & gravior est, & omnibus juris confundendis opportunior.

X. Denique observandum, quod pacta etiam vi metuq; extorta valeant jure gentium, fidesq; data omnino servanda sit, etsi vis illicita ac privata, v. g. prædonis, fuerit,

(9.)

erit. Nec enim obstat, quod prædo scelere egisse videatur, unde actio ei dari nequeat. Alia enim causa est scelus prædonis, alia pactum promissoris: ex quibus diversis causis diversæ invicem oriuntur actiones, alia, quâ promissor tenetur prædoni ex suo pacto & fide data: alia, quâ vicissim prædo ex injuriâ seu delictô suo, scilicet violentiâ: quod latè demonstrat Magnificus Dominus Præses in Lectionibus *ad Grot.*

l. 2. cap. 11. § 7.

XI. Vis autem, quam privatus intulit, illicita, atq; adeo injuria est; quam verò hostis, ea apud Nos, & apud Amicos nostros pro injuriâ habetur, apud Hostes pro jure: *Th. 3.* apud pacatas seu medias Gentes itidem *Th. 4.* Unde si quis pacisci coactus est, ipse quidè semper tenetur ex pacto omnium judiciô; sed qui coëgit, si privatus est, non minùs omnium judicio ex injuria; si hostis fuit, nec jus belli excessit, non tenetur, nisi judiciô hostis; adeoq; si apud eum inveniatur, *Th. 3.*

XII. Detestatur igitur sententiam eorum, qui fidem hosti non modo publicè (quod omnes fatentur) sed & privato datam, quin prædonibus, & omnibus hominibus, sanctissime servandam esse non concedunt; etsi in eam Cicero quoq; odio causæ aliquando delabi videatur, eamq; Bartolus integrò discursu, & acrius Uldaricus Zasius contra Eckium Theologum, qui hòc nomine eù Dissertatione oppositâ inceserat & objur-gaverat, defendat in *Apologia, quæ adjecta est Zasii sing. Resp. fol. 427.* in cujus fronte hæc verba præmittit. *Videbis. Lector, Eckium Jura civilia non perspectè intellexisse. Sc.* Verùm minùs utique perspectè hi Jcti, Bartolus & Zasius (quod pace magnorum Virorum dictum sit) Jura Gentium intellexisse, sed occasione Juris civilis dece-

B

ptos,

pros, rationem Edicti Prætorii; *Quod metus causa*; & Juris Gentium non distinxisse constat. Ea enim hæc est, quòd in hòc actu, ubi coactus quis promittit, duæ distinctæ sint obligationes & causæ; altera ex *Pactò*, quo promissor tenetur, altera ex *Scelere*. quò vicissim Prædo: quarum proinde Jure Gentium distinctæ sunt præstationes. *Th. 10.* Sed Prætor còpendio utitur, & cum prædo rem ex pacto quidem accipere, sed acceptam ob delictũ cū omni damnò restituere deberet; (quò jure utitur Pontif. *in c. 6. X. de Jurejur.*) ille actionem ipsã ex pacto prædoni in pœnam delicti aufert, obligationemq; rescindit. Quod magnum compendium est, ubi res in Judicio agitur, & utraq; pars eodem jure civili utitur. At in quæstionibus Juris Gentium hæ causæ non confundi, sed omninò seorsim, atq; ut distinctæ, prout sunt, considerari debent. Valuit utiq; contra Zafum fides, quam Regulus, etsi privatus, hosti dederat, adeò. ut nulla tot præsentium necesitudinum species eum avellere inde potuerit, & Senatus Romanus tantum Virum, ac belli Ducem, Reipublicæ adeò necessarium, ad hostem iterum dimiserit, cum quasi ex hoste captum retinere potuisset, si fides data non obligasset, quòd Cic. commendat. *Offic. l. 1. c. 13.* Sed & decem caprivi ex clade Cannensi Romã fide datã misli, ultrò ad hostem redierunt, exceptis duobus, quos cum pars Senatus Romani ob hanc perfidiam ejicere urbe vellet, sed victa esset plurimum miseratione, usq; adeò tamen intestabiles invisosq; fuisse memorant, ut tædium vitæ ceperint, necemq; sibi consciverint. *Gell. 7. N. A. 18. Liv. lib. 22. in fin.* Cum Galli in ipso perfidiæ, & falsi ponderis crimine ad fidem provocarent, *Camillus* tamen non contendit, fidem datam iis servandam

(II.)
 dam non esse, sed, se Dictatore incio, dari non po-
 tuisse. Liv. 5. c. 49. etsi ea ratio, si accuratè trutinetur,
 nec rùm necessaria, nec satis Jure gentium tuta fuerit:
 sed id hujus loci non est. Hanc verò sententiam con-
 tra Bart. & Zasium defendit post alios quoque Hot-
 tom. *Illustr. qu. 7.*

SECTIO II.

De JURE POSTLIMINII IN PACE.

SUMMARIA.

- | | |
|---|--|
| <p>1. EX Judio Partis sequi 7. Probatur porro ex ipsius
 <i>Jura Postliminii, si ab</i>
 <i>hoste captum intra fines no-</i>
 <i>stros redierit: Idque ipsum</i>
 <i>esse principiu jurispr. Rom.</i></p> <p>2. Idem obtinere, si capta ad
 <i>socios pervenerint.</i></p> <p>3. Non verò, dum apud hostes
 <i>sunt.</i></p> <p>4. Nec si apud alias Gentes pa-
 <i>catas. Rejicitur contraria</i>
 <i>sententia.</i></p> <p>5. Postliminium esse in rebus
 <i>mobilibus; aliter vero de</i>
 <i>jure Romano, & cur?</i></p> <p>6. Moribus obtinere Jus Gentiu
 <i>contra Grotium.</i></p> | <p>8. Ostenduntur ineptie Judi-
 <i>cati Parisiensis.</i></p> <p>9. An hodie personis opus sit
 <i>Postliminio Jure Gentium?</i>
 <i>Aff.</i></p> <p>10. Medio tamen tempore in
 <i>civitate sua captis omnia</i>
 <i>manere integra, etiam pos-</i>
 <i>sessionem, & matrimonium.</i></p> <p>11. Jure Romano duplici fictio-
 <i>ne, & quidem salubriter, iis</i>
 <i>cautum esse.</i></p> <p>12. Inter Christianos rebus non
 <i>personis postliminio opus</i>
 <i>esse.</i></p> |
|---|--|

13. An deditis sit Jus Postlimi-
nii? ubi notatur: (1.) Dis-
tinctio inter deditioem,
& alienationem simpli-
cem.
14. (11.) Deditio quousq; vale-
at, & quale Jus transferat.
15. Deditos regulariter non
habere Jus Postliminii.
16. Quos populus dedit, eos se
ipsos eximere posse; at non
recipi.
17. Omnia dedita armis recu-
perari posse, etiam à pacatis.
18. Secus esse, si ipse populus de-
didit.
19. De ditis personis ac Urbibus,
quas hostis dimisit, vel dese-
ruit, esse Jus postliminii as-
seritur.
20. Probatur rationibus.
21. Porro ab Absurdò.
22. Tum moribus Romanorum.
23. Item ex Jus Civili: ubi de
L. ult. ff. de Legationibus.
24. Deniq; Consensu Gentium.
25. Exempla Provinciarum,
Belgii de anno 1672. & ho-
dierna Palatinatus.
26. Populum quoque recuperare
pristina Jura in Urbes re-
stitutas; etiam invitatis.
27. At in privatos non nisi vo-
lentes.
28. Postliminium Jure Gentium
durare in Pace, ostenditur.
29. Idem probatur ex Jus Re-
mano: ubi L. 5. §. 2. de Capt.
& postl. nove explicatur, &
contra Dd. & Grotium,
qui ad morem prædandi e-
am referunt, demonstra-
tur, eum morem à Roma-
nis, ne dum Christianis Im-
peratoribus nunquam pro-
batum, minus usurpatum
fuisse.
30. Item ex L. 12. pr. ff. de
Capt. & Postl.
31. Porro ex Aelio Gallò; ubi de
L. 7. pr. eod.
32. Modi, quibus cessat Postli-
minium; vel quia Jus sine
eò quoque salvum est, vel,
quia ne per id quidem.
33. Priore sensu cessat in ca-
ptis per inducias, à latroni-
bus, piratis, bello civili, ty-
rannis.
34. 35. 36. Posteriore, in rece-
ptis per inducias, in trans-
fugis, plene devictis, & eò,
qui Jus suum deseruit.

I. Hinc

Hinc sequuntur I. Jura Postliminii in Bello & Pace; cum in Rebus, tum in personis. Si enim Res, quas hostis à civibus nostris cepit, intra fines nostros reversa fuerint, cedunt pristinis dominis; non iis qui receperunt: quia ex nostra parte asseritur, non jure eas dominis suis bello ablatas, adeoque iis restituendas esse; *Sect. 1. Th. 3.* quod Judicium nostrum intra fines nostros, ubi res nunc sunt, valet. *d. Th. 3.* Idemq; est in personis, quæ ab hostibus captæ, & quovis modo reversæ, pristina jura, quæ ablata sunt, omnia recipiunt, quasi nullo jure ablata. Quæ eadem est ratio Quintiliani *lib. 5. Inst. c. 10.* quin ipsius Jurisprudentiæ Romanæ, *in l. 19. in pr. ff. de Capt. et postl.* ubi ratio, cur captus & reversus postliminium habeat, hæc redditur: *quia per injuriam ab hostibus detentus est; idque naturalis æquitatis esse dicitur.*

II. Idem est, si non quidem intra nostros fines: sed ad socios vel amicos nostros, qui idem nobiscum Judicium, eandemque causam sequuntur, pervenerint: cum enim idem Judicium nobiscum sequantur, apud ipsos quoque, perinde ac apud nos, Res ab hostibus injuriâ captæ, & ablatæ dicuntur, *Sect. 1. Th. 3.*; quod ipsum jure Romano itidem statuitur. *L. 5. §. 1. L. 19. §. 3. eod.* Id factum, cum Pœni divitissimè vexatâ Siciliâ plurima inde ornamenta ac Sacra Carthaginem asportassent: captâ enim post Carthaginem P. Scipio civitatibus Siculis, quæ tum sociæ erant Romanorum, omnia ea postliminio restituit, ut prolixè recenset & laudat Cic. *in accus. Verr. 6. cap. 72. et seqq.* Et Camillus Sutrrium, & Nepete, duas Urbes locias ex hoste receptas, lociis reddidit. *Plut. in Camill. c. 58. Liv. l. 6. c. 9. 10.*

III. At, dum res captæ apud hostes sunt; nihil quicquam nobis in eas Juris est; sed hosti dominium jure belli quæsitum fatemur: quia hostis jure se abstulisse contendit; & hoc Judicium apud ipsum valet. *Sett. 1. Th. 3.* Unde nihil interim petere, nedum Pace secutâ vi agere possumus.

IV. Idemque est, si res, vel personæ captæ ad alias Gentes pacatas aut medias pervenerint, ut nondum sit Jus postliminii; nam & illæ Gentes, cum aliarum Gentium Judices non sint, tactum harum pro Jure habent. *Sett. 1. Th. 4.* Errant igitur omnino, qui apud hos quoque Populos medios Jus postliminii esse existimant, atque in eum sensum detorquent Grogium *L. 3. c. 9. §. 2.* non enim medii utriusque populi essent, qui quod pars altera bello cepit, injuriâ caprum, indeque alteri restituendum dicerent; nec pacati, qui bellantium causæ acriter se miscerent.

V. Nec aliud est in Rebus mobilibus ex hoste receptis, in quibus eadem ratio est Jus postliminii *d. th. 3.* Unde, quod apud Romanos aliter statutum, & illæ capientibus in prædam datæ, juxta communem sententiam, videntur, *L. 28. ff. de Captiv. & postl. exceptis*, quæ ad belli usum pertinent, nec turpiter amissa sunt, *L. 2. ff. eod.* jus merè voluntarium est, ad animandos in prædam milites factum.

VI. Mores nostri conciliati cum Jure Gentium videntur, contra atque existimat *Grot. de J. B. & P. lib. 3. c. 9. §. 15.* Nam & multorum adhuc memoriâ armentis civium ab hoste abactis, deinde receptis, tempus datum est civibus ad sua recognoscenda. Et, cum Cæsarei milites per bellum Germanicum res captas in Saxoniam aliis venderent; dominis prioribus eas redditas, &

tas, & ita sæpius judicatum esse, referat Carpz. *Jurispr. For. p. 4. Const. 35. def. 8. in fin.* pretiò quidem redditò; sed id ipsium Jus Gentium est, cum ipse quoque dominus aliter recuperare non potuisset, *arg. l. 65. in pr. ff. de R. V. l. 6. ff. de Capt. & postl.*

VII. Idque vel maximè ex eò docetur, quòd Grotius secundum se allegat, alicubi constitutum esse, ne naves habeant postliminium. Earum enim valde singularis est ratio; tum, ne Exercitores lucri cupiditate eas temerè in pericula tempore belli mittant; tum, quòd propter usum eorum in bello maximè interest civitatis, ut publici Juris maneant: tum propter pacta cum iis inita, quibus concedi solet, ut suo sumtu naves hostium capiant; vulgò *Capers.* Ex eò igitur, quòd constitutum id singulariter est in navibus; inferendum potius, & in rebus, & in locis, ubi constitutio deficit, Jus Gentium seu Postlim. valere.

VIII. Nihil verò injustius eò, quod in summò Auditoriò Parisiensi Grotiustum, cum scriberet, judicatum ait, ne civium Gallorum bona à prædonibus Algeriensibus capta & recepta, cederent pristinis dominis: quòd capta Jure belli mutassent dominium; *lib. 3. c. 9. §. ult.* Nam & judicatum hoc, & ratio ejus planè adversantur Juri Gentium; quia cum prædonibus Jus belli non est, nec ab iis capta mutant dominium; & eadem ratione tolleretur Jus postliminii quoque in rebus soli, & hominibus, atque adeò in universum; quia semper res captæ mutant dominium jure belli.

IX. Perlonis autem captis, dubium videtur, an opus sit postliminiò ex ipsò Gentium Jure?

Resp. Esse opus; quia captus verè fit servus hostium. Et licet, mos sæviendi in corpus servi modum Juris Gentium atrocitate servitutis longè excesserit, nec
Jus

Jus Gentium, sed injuria atq; immanitas fuerit; tamen amittit hostium judiciò, & sic dnm apud hostes est, rerum suarum dominium. Reversus ergò postliminiò id recipit, quasi injurià detentus. *Th. 1. sup.*

X. Sed mediò tempore quæ rerum ipsius apud suos conditio sit, indifficili est? Resp. Capto apud suos interim omnia jura integra esse debent, eaq; cura civitatis, ut vel à familiâ ejus administrantur, vel à Curatore: quò proinde factò possessio quoque integra, nec eam de novò apprehendi; nedum matrimonium, quod Jure Gentium inter servos quoque justum est, novò consensu repeti necessè erit.

XI. Verùm Jus Romanum certâ Lege id definire maluit, quàm incerto arbitrio Magistratûs relinquere; eoque bona capti statim heredibus ejus addicit, quasi capto statim mortuo. *L. 18. ff. de capt. & postl.* Sed reverso omnia restituit, quasi nunquam capto *L. 16. ff. eod.* Quæ causa est, cur possessio ramen denuò apprehendi debuerit, *l. 23. §. 1. de acquir. vel omitt. poss. uti & matrimonium capti, cum ex sententiâ istorum temporum inter servos non fuerit, erat integrandum. l. 6. de Divort. l. 8. l. 12. §. 4. l. 14. §. 1. de Capt. & postl.*

XII. Inter Christianos non opus quidem est postliminiò ratione personæ, quæ apud hostes quoq; lenitate morum nostrorum libera manet; at ratione rerum atque jurium, quæ hostis abstulit, & Jure belli dominium quæsit, postliminium durat.

XIII. Hæc de bello captis. An idem in deditis sive personis, sive Urbibus & locis? Hoc, ut solide definiatur, sciendum est. (I.) Quòd aliud sit deditio bellica, aliud alienatio, & translatio Juris, quæ fit ex transactionis, pacis, donationis aliave causa simili.

Hæc

Hæc enim omnium jure ac judicio justa causa est dominii juste & in perpetuum transferendi, uti, cum ita transigitur, ut hostis Urbem habeat, atq; à bellò recedat, omnienim jure transactiones de litibus & bel-
 lis justissimæ sunt, & nequidem judicio Partis quicquam in iis injuriæ, nec adeò hoc casu unquam est Postlimi-
 nium *Sett. 1. Tb. 5.* At deditio bellica etsi dominium quoq; omnium judicio ex mutuò consensu transfe-
 rat, duo tamen ei in sunt; (1.) Quod nos contendimus, injuriâ nos compullos ad dedendum; quæ tamen vis
 Jure Gentium neq; consensum, neq; natam ex eò ob-
 ligationem tollit. *Sett. 1. Tb. 10. & seqq.* (2.) Quòd ei spes recuperandi juris perditæ insit; quia durante bello fit, in quò vel armis, vel pactis, aut pace sequente, vel aliis modis res ultro citroq; repeti restituiq; solent, in hunc igitur eventum deditus non videtur juribus suis renunciassè; non enim id agit, ut juribus, quæ aliàs habiturus esset, renunciaret, sed ut ea præsentis periculo, v. g. direptionis hostilis eripiat, atq; in prædictos eventus conservet. Fit quidem etiam deditio ex præcedente sponione, uti Mancini & Postumii ex sponione Numantinâ & Caudinâ, adeoq; pure & jure perpetuò fieri videtur, sed tamen nec ab ea abest spes restitutionis.

XIV. (II) Quòd per deditioem quicquid in re debitâ nostrum est, hosti acquiratur; & quidem quoad jura dedendis propria, omnium judicio; quia de iis ipse statuere potest: quoad jura autem tertii, perinde est, ac si res capta ab hoste esset, non dedita; cum enim, qui dedit, non habeat jus dedendi & in hostem transferendi, nisi quod suum est, hostis tamen jure belli, quicquid hostile fuit, acquirat. utiq; jura hæc

hæc non consequitur vi deditiois, sed vi propriæ occupationis; quia dedendo cepit, atq; in potestatem suam redegit, adeoq; non factò dedendis, sed sua cipientis tantum.

XV. Hinc sequitur, quod is, qui se deditit, subducere se hosti contra proprium suum factum fidemq; datam, & redire ad suos non possit, sed si redeat, pro transfuga habendus sit. Ex eâ enim deditioe hosti omnium iudicio jus quæsitum est, cum Jure Gentium fides hosti data & pacta cum eò inita utiq; servanda sint. Neq; igitur Postliminium habet, quasi injuria detentus. Et licet dicat, injuriâ hostis se compulsus ad deditioem, eò tamen non tollitur obligatio fidei datæ. *Th. 13.* Quod & ipsum Jure Romano constitutum in *l. 1. ff. de Capt. & Postl.* & sanctissimè servatum fuit. Idemq; verum fatemur in urbibus, provinciisque, quæ se dediderunt, ne se eximere hosti, Postliminioque uti possint, eadem ratione.

XVI. Si verò populus ipse deditit personam, vel urbem, eximere illa quidem se hosti potest perinde ac si capta esset. *Th. 14.* quia suo factò dedita non est, & populus jus suum tantum in civem vel urbem hosti transtulit; non verò jus privatum ab hoste se tuendi, quod naturâ cuique comperit, iis ademit. At populus eas recipere contra factum suum fidemque datam nequit. *Th. 15.* Unde Clælia, quæ Porsennæ ut obtes dedita fuit, jure quidem suo auffugere inde poterat, sed Populus Romanus reddere debuit, aliàs Porsenna pro ruptò fœdus habiturus erat, ut ipse ait apud Livium *l. 2. c. 13.* Quid si ergo hostis non reposcit? Jure recepta res videretur ac Postliminium habet, uti res capta, quod proinde ei denegari nequit. Neq; hinc discedit jus
Roma

Romanum in L. 4. in fin. de Capt. & post. ubi potest civitas non recipere deditum. Nam ibi agitur de eo, qui ex propria tua sponfione à populo deditur.

XVII. At armis suis populus durante bello omnia dedita recuperare ab hoste, uti res ipsius hostis proprias vi capere potest: atq; adeò, etsi hostis ea populo pacato donaverit vel vendiderit, à pacatis quoq; dum bellum est, repeti armis possunt: quia hostis non potuit ea, nisi cum causa sua alienare, nec plus in alios transferre, quàm ipse habuit. neq; facto hoc suo jus nostrum pervertere. Atq; hoc quidem manifestum est, cum populus ipse non deditit; tum enim ejus ratione habetur res pro captâ. *Th. 14.* cujus dominiū partis judicio hostis ex justa causa nactus non est, adeoq; qui ab eò accepit, quasi à non Domino accepisse intelligitur.

XIX. At si ipse populus deditit, difficile est dicere, cum ab hoste ipso potuisset armis recipere, etiam à pacato posse, in quem hostis transtulit: neq; enim potest populus quod ipse deditit, vel quasi non jure datum contra fidem factumq; suum reperere; vel jure belli, quod tantum cum hoste est, non cum pacato. Unde, nec hoc casu eximentem se invito possessore recipere potest. *Th. 15.* At in rationes damnorum occasione belli sibi datorum referre id potest. *See. 1. Th. 8.*

XIX. Cum verò & hostis ipse indubiè personas, res, aut urbes sibi deditas deferere aut dimittere; vel pace quoque aut pactis illæ recuperari possint, quaeritur, an ita desertæ, vel pactis, aut, juxta *Th. 17.* armis jure receptæ habeant postliminium? Etsi verò id à Jcto doctissimo negetur, tamen pace ejus Viri & salvo, quod magni facimus, illius judicio deditis quoque,

que, in primis urbibus & provinciis, postliminium his casibus omnino deberi statuimus.

XX. Tota enim ratio, quæ deditis postliminium negat, est, quòd juri hostis contra proprium factum ac fidem datam eximere se non possint. *Th. 15.* Ea vero hic cessat, ubi ipse hostis jus suum deserit, vel remittit, vel jure belli id ei auferitur. Deinde, quia deditione bellicâ non id agitur, ut juribus suis, ultra quàm ab hoste cogitur, renunciet, sed potius, ut ea in prædictos eventus conservet! *Th. 13.* Tum quia deditus contendit injuria hostili adactum se ad deditionem; quod etsi contra hostem allegare nequeat, donec sub ejus ditione est deditus, at ab illo dimissus, & suæ civitatis judicio redditus, contra suos potest. *Th. 13.* Porro si jura integra servantur captis, qui ultrò ab hoste affugiunt, *l. 26. Capt. & postl. Th. 1.* non possunt illa negari deditis, qui ab ipso hoste deserti, vel armis pacto recepti sunt: hi enim omnium Gentium judicio, in priorem conditionem reversi sunt, illos hostis negat jure reversos, *Sec. 1. Th. 5.* Et cum facto ipso in pristinum statum redierint, etiam pristini status jura ipsis debentur, deditioque, quæ remissa est, perinde est ac si facta nunquam esset.

XXI. Quid verò obstat, quò minùs cives nostri integra sua jura habeant, si hostis non obstat? An, cum is spoliare eos desinit, nos spoliabimus? Et quorum deditionem in hoste abominamur, in eos ab hoste liberatos ipsi deditionis jura continuabimus, longè crudeliores ipso hoste; quia, quòd is, cum per bellum jure posset, in hostem non fecit, id nos, cum jura non sit, per pacem in Cives molimur, & quæ civium jura adversus hostes tueri debemus, ea, cum per hostem

flem salva sint, ipsi oppugnamus. Quo quidem nihil magis repugnat communi civitatis voto atque officio, quæ cum civium suorum Tutrix ac Parens sit, hoc facto tutor in prædonem abit, parens in hostem; atque ex funestissimo luctuosissimoque belli casu erepta jura vel captat vel invidet: in quem casum cum Reipublicæ causâ inciderint, quid iniquius est, quam ut in defacto hostium emerit, in eum facto civium recidant? Atque hæc pia omnino vox est Imp. *in l. 12. C. de postl. rev.* qui civibus ex hoste vi bellicâ recuperatis postliminium decernunt, *quia eos non captos, sed receptos judicare debemus.* Quod si ergo iis, quos ipsi jure belli recepimus, jura pristina denegare non possumus, nedum iis, quos sine ullô factô nostro hostis ultro dimisit, quippe in quos minus juris, quam in illos habemus.

XXII. Nec de jure Romano dubitari potest, postquam id decisum est in causa Mancini; si enim ei postliminium debetur qui & ex suo factô ac solenni sponsione, & factô populi per Patrem patratum deditus est, multo magis ei, qui suo solius factô *per Th. 14.* Fuit quidem hæc causa inter JCtos ipsos Romanos valde olim agitata, maxime inter Viros gente & doctrina Romæ præcipuos Brutum & Scævola. *in l. 4. ff. de Capt. & postl.* cum enim C. Hostilius Mancinus à Numantinis in eas angustias cum exercitu redactus esset, ut ignominiosam Pacem, autore Tib. Gracchô, Virô summô, injustu Senatus inire cogeretur, Populus Romanus eum dedit, & nudum vincumque ante portas Numantia exposuit: *Plut. in Tibb. Graccho. c. 6. & seqq.* ubi nec ab hostibus receptus, & à suis desertus fuit: Romam itaque cum rediret, quæsitum est, an haberet

postliminium? Cicero refert *in hac controversiâ inter peritissimos homines summam de jure dissensionem fuisse. lib. 1. de Orat. c. 238. quod & ex l. 4. ff. de Capt. & postl. & l. ult. ff. de Legat. videre est.* Quin, cum Mancinus in Senatum introiret, Tribunnus pl. eum de Senatu juslit educi; quod memoria proditum esse diceret, quem Pater patratu dedisset, ei nullum esse Postliminium. Cic. d. l. c. 181. vel, quæ à Jctis ratio allegatur *in d. l. ult. ff. de Legat. quod ipso decreto deditionis civitas amittatur, perinde ac deportatione.* Sed contrarium valuit, & Mancinus augurio in castra reductus Præturam quoq; gessisse dicitur, *in d. l. ult. quod & referunt Plin. de Vir. Illustr. c. 59. Cic. pro A. Lic. ad fin. Aur. Vict. de Vir. Illustr. in Mancin. Eutrop. lib. 4. Hist. Rom. &c. & merito per jam dicta.* Nec ratio adversantium *in d. l. ult. quicquam valet; qui pessimè deditionem cum deportatione contendunt.* Deditionis enim pœna hosti solvitur, cui ex sponcione Numantina satisfactio hæc debebatur; non verò Reipublicæ seu Populo Romano. Hostis itaque si hanc pœnam, seu jus suum remittit, exigentia, à Republ. seu P. R. non potuit. Quod secus est in deportatione, quæ pœna Reipubl. & ex crimine commisso debetur, & quam proinde nemo nisi ipse Populus vel Princeps remittere potest. Ratio verò Cic. *ad Trebat. in Top. c. 37. nullius momenti & ab ipsis Jctis, qui diversum tenebant, in d. l. ult. rejecta est.*

XXIII Arque ira jure quoque Romano deditis tribuitur postliminium *in l. 4. ff. de Capt. & postl. ubi ex subjecto exemplo patet, agi de specie, quâ hostis jus suum deseruit in deditione Mancini non verò ubi pæctio non intervenit, ut Grotius statuit, quia sponcio utique pæctio est,*

XXIV. Neq; verò, quin urbibus ac provinciis deditis postliminium competat, unquam inter Gentes dubium fuit. In bellis Punicis quot Hispaniæ, Siciliae, quin ipsius Italiae urbes variam praeliorum fortunam secutæ, modo huic, modo alteri parti deditæ sunt? Quæ tamen receptæ eodem jure ac ante fuere. Eadem in bello tricennali plerarumq; urbium fors fuit; quæ modo Svedis deditæ, modo iterum relictae vel receptæ nullo discrimine cum reliquis, neq; alio jure ac olim habitæ sunt, hodieq; habentur, nisi in pace secuta aliter transactum fuerit. In bellis inter Anglos & Gallos, Angli quot urbes in Galliâ cepere? At hæ receptæ eodem hodie loco sunt, quo olim vid. *Mass. Annal. 4. in Carol. VII. Serram in Hist. Gall. in Carol. VII. ad ann. 1522. Froissard. Hist. lib. 1.*

XXV. Ita in superiore bello Gallo Belgicò An. 1672. & seqq. tres Provinciae Belgicæ hostibus deditæ, iterumq; desertæ in pristina jura ordinemq; redierunt. Et quis dubitat, hodie in Palatinatu, finitimisq; Principatibus loca hosti dedita, iterumq; nuper destituta, in jus antiquum revertisse?

XXVI. Non tantum autem urbes captæ ac deditæ prædictis casibus postliminio jura sua pristina recipiunt, sed & populus jura pristina in urbes, etiam invitas: non enim hæ in libertatem se asserere possunt, sed cedunt pristino imperio, in omnibus casibus, quibus postliminium esse diximus: quia, uti populus ipsis jura sua, quæ postliminio recuperarunt, auferre non potest, ita nec ipsæ possunt Populo: id enim legis naturalis est, nemini invito suum auferri. Ita Lysimachiam, quam Philippus ex Thracibus vindicatum deseruit, Thracibus recepisse, ipse memorat
apud

apud Liv. *lib. 32. c. 34* Et urbes omnes, in exemplis
Th. 24. 25. relatis indistinctè in jus pristinum redactæ
sunt.

XXVII. Cæterùm secus est in hominibus cap-
tis vel deditis, qui postliminio inviti non redeunt; quia
ipsis jure naturali liberum est, domicilium suum, quod
jus ipsorum privatum est, eligere vel deserere: adeò,
ut nequidem, qui adhuc cives sunt, retineri inviti
possint; nedum repeti, si capti sint. Quod jus laudar
Cicero, & ò jura præclara, ait, *ne quis invitus civitate
mutetur neve in civitate maneat invitus. Hæc enim sunt
fundamenta firmissima nostræ libertatis. sui quemq; juris
& retinendi & dimittendi esse dominum. Cic. Orat. 35. pro
L. Corn. Balb. c. 31. Et in l. 12. §. 9. de Capt. & Postl. dicitur
De sua qua civitate cuiq; statuendi facultas libera est. Atq;
ex hâc ratione jure quoq; civili negatur postliminium
capto, cui animus redeundi non est d. l. 12. §. 9. l. 20. pr.
ff. & l. 19. §. f. C. eod.* At urbes & Provinciæ non pos-
sunt se eximere à reliquò corpore, aut illi Imperio.
cujus pars sunt, se subducere.

XXVIII. Hæc omnia postliminii jura perinde du-
rant, nec extinguuntur pace simpliciter factâ; cum in
eâ nihil de privatorum damnis vel juribus dictum aut
transactum sit, ut abunde ostendimus *Señ. 1. Th. 8. & 9.*
Unde, etsi res non vi recuperata, sed nostris vel fœ-
deratorum nostrorum civibus donata aut vendita in
bellò vel pace fuerit, donatarius vel emtor tenebitur
eam restituere pristino domino, perinde ac si res alie-
na ipsis vendita vel donata esset; quia nostrò judiciò
& intra fines nostros hostis pro justò dominò non
habetur. *Th. 1. 2.*

XXIX. Quod idem jure Romano quoque obtinuisse evidens est. Nam (I.) *in l. 5. §. 2. de Capt. & postl.* (qui textus extricatus nondum est) exertè traditur, *etiam in pace quod ex nostrò ad aliam gentem pervenit, ejus fieri, & civem nostrum ab iis captum servum fieri; & vice versa: eoque postliminium utrinque esse, nisi hospitium vel amicitia contracta sit.* Grotius verò *de J. B. lib. 3. c. 9. §. 18. & l. 2. c. 15. §. 5.* aliique, eò delabuntur, ut putent inter Romanos & alias gentes in pace jus prædandi fuisse, eumque abusum *in d. l. 5.* remansisse ex seculo Nomadum. At de hoc execrabili prædandi more loqui *Idem in d. l. 5.* atque hanc impietatem pro jure venditasse falsissimum est. Reclamat equidem totius antiquitatis memoria ac fides. Reclamant peregrinationes Ulyssis, Antenoris, Æneæ, Pythagoræ &c. qui in remotissimas terras delati, ubique (nisi fortè apud fictitium Polyphemum) tuti, & nullibi servi facti sunt, sed Jus Gentium valuit. Quin repugnat id primis Romanorum principiis, qui naturâ omnibus liberum esse dicunt, ad littora & ripas appellere. Et cum Trojani non statim à Pœnis admitterentur, exclamant illi apud Virg. *l. 1. un.*

Quod genus hoc hominum, quæ hæc tam barbara mentem

Permittit patria? hospitio prohibemur arena.

Ad eò verò hic mos displicuit Romanis, ut, cum Teuta, Illyriorum Regina, suos mari prædas agere pateretur, & Romanis, graviter de eò conquestis, responderet: *Regum morem non esse id prohibere*, legatus Romanus ei reposuerit: *πειρασόμεθα δὲ, θεῶν βελομένοις, ἐπεὶ τὸς καὶ ταχέως ἀναγκάσει σε βασιλικὰ νόμιμα διορθώσασθαι πρὸς Ἰλλυρίδας, At nos tentabimus, Deo volente, diligenter & celeriter*

D

celeriter, necessitatem tibi corrigendi regios hos mores in Elyriis imponere. Atque hoc ^{ad d. 150v d. 605} optimum Romanorum morem esse asserit. Polyb. *Histor. lib. 2. c. 8.* Tantum abest, ut Romani in suis id pro jure habuerint, uti in aliis quoque severissimè compescuerint: nam id re præstiterunt Romani, cum Teuta regno suo prope à Romanis pulsa, non modo non lædendi alias gentes, sed ne navibus quidem libere eas adeundi potestatem retinuerit. Polyb. *16. c. 12.* Quin semper piratas à Romanis capite plecti solere, testatur Cic. 5. *Verrin.* ubi in Verrem ita infurgit: *Et quem audisti in Sicilia antea, captum Archipiratam, qui non securi percussus sit? Unum cedo autorem tui facti, unius profer exemplum.* Sed & *lib. 3. off.* Prædonem hostem communem omnium vocat. Ut proinde pernegemus, tantam immanitatem contra Jus Gentium & Naturæ unquam admisisse Romanos, nedum Christianos Imperatores probasse, ac inter leges, suas, quales etiam sunt Digestorum leges, *l. 1. §. 6. l. 2. §. 11. c. de veter. jur.* Scytismum talem retulisse. Certum est itaque, loqui Jctum de gente, cum qua bellum fuit, & postea pax facta est; atque hinc primum agit de postliminio, quod durante bello obtinet; *d. l. 5. §. 1.* tum de eò, quod secuta pace *d. l. 5. §. 2.* Et sic pace simpliciter facta adhuc postliminium esse rectè docet, nisi pactio accedat amicitia vel hospitii, *d. §. 2.* quæ est ipsa pactio amnestiæ, ut *Secl. 4. Th. 11.* ostendetur. Accuratè igitur Jcto convenit cum Jure Gentium.

XXX. In *d. l. 12. in pr.* idem pariter evidentissimè con stat, qualitercunque explicetur: primum enim omnes *Dd. iis*, qui in pace pervenerunt ad hostes, fatentur comperere postliminium in bello ac pace; at bello captis quidam putant in pace id non concedi, *in d. l. 12. pr.*
 Quod

Quod ut verum ponamus, equidem expressè ibi additur, id fuisse Jus civile & placitum Romanorum, ne milites in prælio fiducia postliminii facile capi se paterentur. Quæ ratio merè civilis & pœnalis est, non Juris Gentium, quo proinde postliminium indistinctè quoq; in pace obtinet. Nam & notum est. Romanis adeò contemptos fuisse bellò captos, ut in summa necessitate quoq; maluerint servos manumittere, quam in prælio Cannensi captos vili pretiò redimere: quod M. Junius in Senatu allegat, & *Nemo nostrum*, inquit, *ignorat, nulli unquam civitati viliores fuisse captivos, quam nostræ.* Liv. 22. c. 59.

XXXI. Deniq; postliminio in pace quoq; locum esse, disertè iridem tradidit Ælius Gallus, quippe qui id tum tribuit, *cum qui liber, è qua civitate in aliam civitatem abierat, in eandem civitatem redit.* Et deinde, *Cum populis liberis & cum federatis & cum Regibus postliminium nobis est, ita ut cum hostibus.* Quæ loca ex Festo allegat Grot. *de J. B. l. 3. c. 9. §. 3. & §. 18.* Nec movet, quæ acerrimè adversari putantur, *l. 7. in princ. Cap. & postl.* ubi negatur cum liberis & fœderatis postliminium esse. Nam loquitur de fœdere, quo amicitiaè pactio comprehensa fuit, ut patet *ex. d. l. 7. §. 1. de quo in fin.*

XXXII. Hinc patet, quando cesset postliminium; scilicet, quoties *judicium illud Partis* cessat. *Th. 1.* Et proinde quoties indistinctè vel omnium judicio injuria res detentæ dicuntur, vel nullius: si omnium, supervacuum est postliminium; si nullius, nullum: ibi omnia jura integra sunt sine postliminio, hic nequidem per postliminium ulla.

XXXIII. Prioris generis exempla sunt in induciis, si iis pendentibus res ab hoste captæ fuerint, cum

captæ sint contra fidem induciarum, quod omnium
 iudicio injuriâ est. Item in iis, qui capti sunt à latroni-
 bus aut pyratis, (cui convenit *l. 19. §. 1. l. 24. de Capt. &*
postl.) aut in bello civili (quod & probat *l. 21. §. f. eod.*)
 aut capti vel ejeti à Tyrannis, uti Sicyonii à Nico-
 cle Tyranno expulsi, & ab Arato restituti, bona sua vin-
 dicarunt à possessoribus. Plut. *in Arat. c. 11.* Cic. *2 Off. in*
fin. ubi laudat tamen Aratum, quod postessoribus, qui
 sine injuriâ tenebant, satisfecerit Non enim opus est
 postliminio, quia omnium iudicio constat, nec hoste per
 inducias, nec unquam latronem, nec cives in vicem, nec
 tyrannum per vim aliquid auferre posse, sed id restitui
 debere.

XXXIV. Posterioris, itidem in induciis: nam si iis
 pendentibus res bello captæ ad dominum reversæ fuerint,
 is non recipit eas postliminio: cum enim expressa indu-
 ciarum pactio sit, ne invicem lacescant, sed in eodem statu
 res relinquunt, nulli iudicio interim injuriâ illæ tenen-
 tur, quia sic pacti sunt; & proinde contra pacti fidei-
 quæ tenorem facit, qui quod alter tenet, quasi injuriâ
 teneat, postliminio recipit; eoque alterum lacescit & sta-
 tum rerum mutat. Et hic quoque suffragatur *d. l. 19. §. 1.*

XXXV. Item in transfugis & iis, qui perfide ad
 hostes desciverunt: hi enim, ultrò hostes secuti, non
 verò ab iis injuria, ullius iudicio, detenti sunt. Acce-
 dit, quod non cives sed perduelles sint, nec iudicium ci-
 vilitatis suæ, sed pœnam mereantur. Hispani Princi-
 pes ad Romanos transitionem excusaturi, *Scire si*, di-
 cebant, *transfuga nomen execrabile veteribus sociis, novis*
suspectum esse. Liv. *27. c. 17.* Idem traditur *in d. l. 19. §. 4.*
l. 14. Ex quib. caus. maj. jure itaque in Campanos, cum ne-
tarie ad Annibalem defecissent, receptos à Romanis
ferio animadversum est; ut. laudat Liv. & defendit
 Legatus;

Legatus Romanus apud Eund. *l. 31. c. 31.* Et non ita pridem, cum Messenii, urbs Sciliæ, ab Hispanis ad Gallos transfissent, deferti à Gallo, spe quidem amnestiæ initio illecti sunt, at in potestatem liberorum reversi pœnas defectionis satis graves dederunt. Quas & dari olim fuissent Tusculani, nisi pœnitentia & precibus veniam à Senatu impetrassent. Plut. *in Camil. c. 65.*

XXXVI. Ita cessat quoq; postliminium in populo, qui totus in hostis, res detinentis, potestatem per ultimam victoriam vel deditionem pervenit; uti Thebæ ab Alexandro M. Diod. Sic. *l. 17. c. 12.* Plut. *in Alex. M. c. 19.* Athenæ à Spartanis; Just. *lib. 5. c. 18.* Xenoph. *lib. 2. Ελληνικῶν.* Carthago à populo Romano. Flor. *lib. 2. c. 15.* &c. desit enim cum civitate iudicium ejus, & in arbitrium victoris transit, (ut legatus Antiochi dicebat apud Liv. *lib. 34. c. 57.*) qui ex hoste jam iudex & magistratus omnium iudicio factus est, ejusq; jam arbitrium victa civitas sequitur, non suum.

XXXVII. Hinc civitas ita penitus victa, etsi restituta sit, tamen postliminio ne ea quidem recipit, quæ victor ante victoriam & adhuc hostis abstulit, nedum quæ post victoriam, jam legitimè dominus factus & princeps. Unde, cum Alexander M. Thebis victis occupatisq; nomen iōd. talentorum Thessalis, quæ ea debebant, donasset, ut narrat Quint. *Inst. lib. 5. c. 10.* nihil vanius est, quam restitutis postea Thebis postliminium tribuere contra Thessalos: quia Alexander tum, cum donaret, dominus Thebarum jure ultimæ victoriæ plenissimo factus est: adeoque omnium iudicio & valuit donatio seu acceptilatio à domino & creditore facta, & debitores Thessali ipso jure liberati sunt. Et ita in Amphictyonum com-

muni Græciæ consilio rectè judicatum videtur. *Ærod. rer. jud. 2. tit. 3. c. 2. & 3. contra quam existimat Hottom. Illustr. quæst. 5.*

XXXIIX. Illud liquet, cessare postliminium, si is, qui habet, id deserit, & urbes libertate uti patitur: suum enim jus omittere potest. Unde, cum Antiochus Smyrnam, Lampfacum, Lyfimachiam, aliasq; nobiles Græciæ Thraciæq; urbes, quas proavus ejus, Seleucus, victo Lyfimacho, ceperat, postliminio repe- teret, eaq; causa belli cum Græcis & Romanis ipsi es- set; rectè respondet Dux Romanus, cum bis causa in- ter utramq; partem colloquio disceptaretur, tanto tempore delertas eas ac liberas fuisse *Liv. lib. 34. c. 57. 58. & lib. 35. c. 15. idq; probavit belli exitus.*

SECTIO III.

ALIIS JURIBUS, QVÆ IN PACE EX BELLO RELIQA SUNT.

SUMMARIA.

- | | |
|--------------------------------------|-----------------------------------|
| 1. U Ti res postliminiò reci- | 5. Idem esse, si autores ad soci- |
| pinus; ita I. damna | os pervene int. |
| rerü ab autorib; vindicam;. | 6. Etsi mercede conducti sint, |
| si illi intra nostros fines sint. | vel non amplius militent. |
| 2. Probatur autoritatibus. | 7. Secus, dum sunt apud hostes |
| 3. Item jure Romano & morib;. | vel alias gentes pacatas. |
| 4. Ita etiam maximè obligari | 8. Nisi omnium Gentü judicio |
| Incendarios. | factum improbetur. |

9. Aut



9. Aut crimina commissa contra fœsus gentium.
10. 11. II. Jura quoq; vel nomina ab hoste extorta eadem ratio in pace vindicari posse: Ubi primum ostenditur quid juris sit, si debitor coactus fuerit solvere &c.
12. De lite Neopolitana; ubi quàm imperitus juris gentium in ea decidenda fuerit Matth. de Afflictis ostenditur.
13. Si alicui è gente pacata nomen ablatum sit, id restituendum esse.
14. Quid si creditor ab hoste coactus fuerit, debitum remittere?
15. Civitate penitus victa, causas privatas non posse transferri a Victore.
16. Nomina publica posse.
17. Inter hostes ritè acta rescindi non posse.
18. 19. III. Quid si aliquis ab hoste compulsus fuerit pacisci & de lyro seu pretio redemptionis hosti promisso.
21. 22. IV. Sententiæ ab hoste latae in bello, quousque in pace valeant.
23. An transactiones aut dispositiones in odium partis adversæ factæ.
24. Transfugam & perducellum esse, non modò, qui ad hostem, sed & qui in pace ad populum eum concessit animò proditoris, cum quo Amnestia non est.

I.

Vidimus, ut res, personæ, urbes & terræ nostræ sub hostium potestatem redactæ, inde verò intra fines nostros reversæ, in pace quoq; postliminium servent. Eadem verò ratione, etsi hæc ipsa, quæ nostra fuere, intra ditionem nostram non redierint, tamen possumus damna ac injurias, quæ hostis pendente bello intulit, pace quoque (si simpliciter facta nec amnestiæ aliave pactio adjecta sit) vindicare sequentibus modis (I.) Si nostræ saltem civitatis iudicio injuria nobis ablata dicuntur, etsi jure belli actum fuerit

fuerit. *Secl. 1. Th. 3.* Ea enim persequi possumus; si hostium milites, vel homines qui ea intulere, intra fines nostros deprehendantur. Ab iis enim omnia hæc injuria nobis esse illata contendimus. *d. Secl. 1. Th. 3.* Quod judicium valet intra fines imperii nostri, ubi, qui fecit, nunc invenitur, eique adeò subjectus est. *d. Th. 3. Secl. 2. Th. 1. & seqq.* De his verò damnis ac injuriis non transactum per pacem simpliciter factam, quæ de causa publica non de damnis ac injuriis privatorum inita est. *Secl. 1. Th. 8.* Sequitur igitur, quòd contra Autores qui deprehendantur in nostri imperii finibus, persequi ea adhuc possumus, si in pace amnestiæ lex adjecta non fuerit.

II. Ita Coriolanus, etsi pax cum Volscis facta erat, veretur tamen eos adire conscientiam damnorum, quæ bello ipsis dederat, atque ideò, cum ad eos confugiendum tamen esset, prolixè inprimis petit, sibi ignosci. *Dion. Halic. lib. 8. c. 1. & c. 6.* Pace cum Pœnis ex secundo bello Punico facta, duravit persecutio Annibalis, uti refert *Liv. l. 30. c. 37.* Idemque *lib. 33. c. 47.* ait; *Nòn sefellisse Annibalem, ita pacem Carthaginensibus datam esse, ut ineptabile bellum adversus se unum esset.* Themistocles, qui Xerxem maximis damnis & cladibus affecerat, cum patriam pulsus, & nullibi tutus in Persiam iret, etsi Xerxes jam mortuus, nec tum bellum esset, Lyfitheides tamen, Regis amicus, apud quem latebat, prædixit ei periculum capitis, si regem adiret, quod res Persis funestas gessisset: nec nisi hujus hospitis sui gratiam adjutus, & literis ad regem datis, operaque suam copiosè Regi promissam, aditum paravit, & adhuc tamen ab iis, quorum cognati occisi erant, in discrimen capitis adductus fuit. *Diod. Sic. lib. 11. c. 56. & 57.* *Thucyd. lib. 1. Hist. circa fin.* *Cornel. Nep. in Themist.* Sopater & manus

manus Macedonia è subditis regis Philippi mercede militaverant Annibali in Africâ, & inde misî domum tendebant, pace à Scipione hostibus jam data; illi tamen capti & in vincula ducti sunt. Liv. 30. c. 42. Sylla, pace cum Mithridate facta, Eutrop. lib. 5. in *Hist. Syllæ* Plut. in *Syll. c. 48.* in quosdam tamen, qui ejus partium fuerant, animadverit. Vell. Pat. lib. 2. *Hist. in gestis Syllæ.* Cæsar victo Pompejo pacem cum Senatu fecerat, & tamen ex iis, qui Senatum secuti erant, Marcellum, Ligarium, Dejotarum &c. adhuc persecutus est, ut ex Orationib9 Cic. patet, qui non ita eos defendit, ut negaret pace facta in eos aliquid statui posse, sed petendo ut errore & opinione causæ deceptis ignosceret. Ludovicus XI. pace cum Anglo Burgundoq; jam composita in Conestablium animadverit. Comin. lib. 6. *prop. fin.*

III. Atq; hoc jus & morem gentium esse, traditur quoq; in *d. l. 5. §. 2. ff. de Capt. & postl.* ubi non tantum dicitur, pace quoque facta durare postliminium; sed etsi ex altero populo aliquis ad alterum, cum quo bellum fuit, pervenit, pace quoq; secuta eum capi posse, ac (quærum captorum conditio erat) servum fieri, non alio jure quàm ob damna & injurias singulorum, cum de causâ publica transactum pace fuerit. Estq; hoc id ipsum jus, quod hodieq; Christianismo non imbuti exercent cum inter se, tum in primis contra Christianos, quia paci cum his factæ non solet amicitia vel amnestiæ clausula addi: de quo *Sec. ult. Tb. 10.* Atque hinc Mahumedani è Christianis in media pace tales sibi captivos colligunt, quin & ipsi alicubi Christiani è Mauris.

IV. Inter Christianos igitur etsi servitus bello captorum, non tamen hoc quoq; jus gentium deventum

E

tum

tum est. Unde, si incendiarii illi, alique facinorum crudelitatumque ministri, pace simpliciter juncta apud nos deprehendantur, omnino capi, & in eos animadverti potest. Ita creditum est, cum nuper Moguntia ac Bonna dederentur, hos generali pacto non contineri; ea propter enim nominatim singulorum quoque mentionem fieri, eorumque securitatem expresse pacto specialiter promitti curarunt, ne singuli quoque, qui damni vel injuriæ aliquid fecissent, eo nomine convenirentur. Sic, cum Callimachus, præfectus Michridatis, urbem Amisum captam incendiasset, ipseque postea cum Gura, Tigranis fratre, captus à Lucullo esset, Lucullus Guram quidem humaniter usus est, at incendiarium catenis vincitum ad poenam reservavit. Plutar. in *Lucull. c. 68.* Quod si ergo ne deditionis quidem pacto generali continentur, quod tamen cum singulis fit, nedum pace generali, quæ tantum de publicâ causâ fit. Cur autem promiscuè olim capti fuerint, sive ipsi damnum dederint sive non, causa est, quod vires hostium in nostram necem periculumque auxerint, operamque ad id suam commodaverint.

V. Perinde autem esse, an ad nos pervenerint, an verò ad socios amicosque, qui eandem nobiscum causam judiciumque tuentur, dictum est *Sect. 1. Tb. 3. Sect. 2. Tb. 2.* Item, an personæ an earum res apud nos inveniantur, cum ex his quoque satisfieri nobis possit.

VI. Sed nec refert, an militent adhuc hosti, an ante vel post pacem missi; item an mercede conducti sint, an cives; ut ex adductis exemplis, Coriolani, Themistoclis, Sopatri &c. patet.

VII. At dum in hostis vel aliarum pacatarum gentium finibus sunt, nullo modo hæc damna injuriasq;

riasque persequi possumus: nam hostis negat, injuria ea nobis illata esse, quod iudicium apud ipsum valer, *Secl. 1. Th. 3.* & cæteræ gentes pacatæ bello utrinque factum pro jure habent. *Secl. 1. Th. 4. Secl. 2. Th. 4.* Non fuit itaque fas Lucullo à Tigrane pacato flagitare, ut Mithridatem traderet. *Plut. in Lucull. c. 44.* Et Hannibal, cum Romani eum à Prusia, Bythinæ rege, ad quem pacatum confugerat, poscerent, isque tradere vellet; ait, per scelus id Romanis peti, & à Prusia fieri, atque illos in eo à majorum virtute degenerasse. Nec denique quod Romani se persequantur sed hunc modum execratur. *Liv. 39. c. 51.* Nihil enim in alieno territorio post pacem vi & armis, sed solo jure experiri possumus, per loci magistratum; cujus verò iudicio nihil injuriâ factum statuitur.

VIII. (II.) Multo magis igitur persequi injurias & damna in pace possumus, quæ omnium iudicio æquè injusta censentur, uti si Vasallus noster hosti militaverit; ea enim non nostra tantum sed communi omnium gentium sententia feloniam est, cum verum perjurium perfidiamque commiserit. *Secl. 1. Th. 5.* Eum igitur non modò feudo dominus privare potest, si id in sua potestate sit, sed & ab ipso hoste jus petendi tribuendum est: uti Romani jus ex sponsonibus hosti quoque religiose administrarunt; non minùs autem Vasallus ex sua fidelitate, quàm sponsor ex sponsione omni jure obligatur. Atque ita Serenissimus Princeps Elector Palatinus bello, quod *Wildfangiale* dicebatur, per laudum Hailbrunnense finito, & ferè secundum se deciso, in Vasallos tamen Comites & Nobiles, qui illud secuti fuerant, jus suum persecutus est. Et Carolus Burgundus Ludovico XI. Conestabulum, hujus beneficiarium, ipsi dedit. *Comin. Hist. lib. 6. circa fin.*

IX. idemque est, si crimina contra jus gentium commiserint, quæ omnium judicio vindicanda sunt. Nam & Samnites gens ferocissima, Brutulum Papium propter perfidiam ac perjurium, cujus ipse autor fuerat, cum omnibus rebus ipsius hosti dedunt. Liv. 8. c. 39. Et, cum Galli deditionem Fabii postularent, quod jus gentium violasset, Romanis visum fuit, *barbaros jus postulare*, ut ait Liv. 1. s. c. 37. sed cum eorum, qui nolebant Principes juventutis Romanæ dedi, suffragiis victi, negarent id jus hostibus, quam presso pede secuta est manifesta Numinis vindicta? Incontinenti enim ab iisdem hostibus, Roma capta & incensa, Senatusque propè omnis trucidatus est. Diod. Sic. lib. 14. in fin. Plut. in Camill. c. 27. & seqq. Eamque cladem omnes huic causæ assignant, & in primis ipse Camillus gravi oratione apud Liv. lib. 5. c. 52.

X. Perinde verò hæc omnia obtinent, ubi non res, aut loca, sed aliud jus nobis ab hoste ablatum est; uti (III.) Nomina: quæ verò in re magna varietas est. Et scilicet vel debitor est in hostium potestate, vel creditor. Si debitores nostri sunt in hostium nostrorum potestate, ut sicives hostium sunt, & ab hoste cogantur id quod debent, vel fisco ejus aliisve solvere, debitores hi in territorio hostili vel gentium mediarum conveniri amplius non possunt, quia ibi rectè eos solvisse statuitur. Sect. 1. Th. 4. Sect. 2. Th. 3. 4. in nostro vel amicorum nostrorum, possunt, iterumque solvere tenentur, quia apud eos non creditori, & sic non rectè solvisse judicantur. Sect. 1. Th. 3. Sect. 2. Th. 1. 2. Quod & juris est, si hostis debitori tali id nomen remiserit.

XI. Idem est, si debitores nostri sint ab hostibus capti, vel fuerint in locis ab hoste occupatis: etsi enim loca

loca ista non recipimus, tamen debitores in nostro vel amicorum territorio postea inventi, non obstante solutione vel transactione factâ, iterum solvere coguntur; *Th. præc.* si autem recipimus loca insuper, etiam jus postliminii nobis competit. *Seç. 2.* cujus vi nomen recipimus, non attenda priore solutione, quæ non jure facta dicitur: Si verò debitori illi hostis remittit debitum, cum è nostris civibus sit, nunquam remissio valet, quia ille nostrum, non hostium judicium sequitur *Seç. 1. Th. 3.*

XII. Cum igitur Carolus IX. Gallus Neapolim, pulso Alphonso ejusque filio Ferdinando, cepisset, eosq; qui Alphonso aliquid debebant, id suis officialibus Gallis solvere compulisset, certum ac planum est, filium ejus Ferdinandum, ejeçtis iterum Gallis & recuperato inter quatuor menses regno (*vid. P. Jov. lib. 3. Hist. & Gratian: de cas. Vir. Illustr. tit. 2. de Arrag. Reg. Neap.*) jura omnia, atque adeò nomina quoque sua postliminiò recepisse. In qua tamen causâ Matthæus de Afflicis, qui in ea se consultum ait, *Decis. Neap. 150.* tam misere laborat & hæret, & quæ de debitorum mora (cujus tamen effectus cesat in quantitate debitâ, quæ semper etiam ante moram debitori perit, *l. 11. C. si cert. pet. estq;* hoc jus pænale adeoque civile.) item quæ de privatorum inimicitia, quæ causâ dedit damno (quod omni jure injustum est) in legibus civilibus invenit, ad Regum controversias hostilitatesque publicas applicat, cum tamen Reges quidem jus belli, at non privati jus inimiciæ exercendæ habeant, & illi, non hi invicem vi agere & lædere possint. Postliminii autem, hujus juris quod solum allegari debuit, ne meminit quidem. Adeò constat, tales Dd. ne quidem jus certum & legibus definitum

nitum (*vid. L. 12. §. 6. de Capt. & postl.*) negotiis. solide applicare posse, nedum decidere negotia, quæ jure civili definita non sunt.

XIII. Si verò debitor vel pacatæ genti debeat vel ipse sit è gente pacata, etsi nobis debeat, non potest hostis noster eum cogere, ut vel sibi, vel aliis solvat, quia hostis in pacatas gentes earumque jura ac subditos vi agere non potest; & proinde, cum omnium judicio injuria agat, eam reparare tenetur. *Seç. 1. Th. 5.* Atque ita, cum superioribus bellis hostis res eorum, qui hostes non erant, apud civitatem occupatam depositas abstulisset, Facultas Juridica Heidelbergensis ante aliquot annos absolvit depositarios, & eos qui abstulerunt, satisfacere teneri respondit.

XIV. Hæc ita, si debitor sit in potestate hostium: si verò creditor, sive is civis sit loci ab hoste occupati, (nam si civis hostium sit, huc non pertinet, quia is non in hostis, sed sui Principis potestate est) sive alias in hostium manus pervenerit, & hostis nomen vel fitco suo adjudicet, vel aliis donet, jus agendi quidem amittit, si debitor sit in hostili vel pacto solo, in quo jure belli id rectè creditori ademptum statuitur. *Seç. 2. Th. 3. 4.* At si debitor sit in nostro vel amico territorio, non amittit creditor jus agendi, etsi debitor fortè alteri jam solverit, quia negatur id jure factum. *Seç. 2. Th. 1. 2.* prætereaque recepto ex hoste loco isto, ubi creditor est, vel ipso creditore, jure postliminii quoque hic nomen suum recipit; modò debitor in nostro vel amico territorio sit, ut dictum *Seç. 2. Th. 1.*

XV. Si verò hostis jure ultimæ victoriæ imperium perpetuum in nos nactus est, nomina civium devictorum ipse iis auferre aut donare aliis non potest,

est, etsi ante victoriam potuerit: quia ante victoriam spoliare ut hostis potuit; post eam Judex & Magistratus factus, non potest: ut ostendit Magnus Dominus Præses in *Disput. de Jure Victoriae*. Tale nomen fuit, quod Julius Cæsar victo Pompejo Dyrrachinis donavit: id enim illi Flavio debebant; cui proinde Cæsar id adimere non magis quam singulis civibus res suas auferre potuit: causæque hujus arbiter Cicero fuit. *Ærocl. rer. jud. 2. tit. 3. c. 3.*

XVI. At publica nomina victor, ut omnia jura civitatis publica, sibi acquirit, quæ proinde aliis donare potest: Et hinc, cum tale nomen Thebanorum fuerit, quod Thesaliis debebant, rectè ab Alexandro M. victore ac Domino Thebanorum id donatum diximus *Sec. 2. Th. 38.*

XVII. Quæ autem communi gentium jure ritè acta gesta que sunt, valent tum in bello, tum in pace, nec vindicari in bello quidem, nedum secutâ pace possunt. Uti contractus ritè ac sponte initi inter hostes *per Sec. 1. Th. 10. seqq.* ex quibus igitur hostes ipsi tenentur jus statuere: quemadmodum eos validos ac legitimos haberi jubet quoque; pax *Osnabr. art. 4. §. pen. & pax Hispano Belgica de anno 1648. §. 32.* Qua ratione indubiè actio competit ei qui ad solvendas contributiones credidit, ut non opus sit allegare decisionem *Mev. part. 2. dec. 23.*

XIIX. (IV.) Hinc patet, quid statuendum de actu seu negotio, ex quo invicem omnium judicio obligantur, sed alter ex re licitâ, alter ex injuriâ; ut si hostis aliquem vi privata compulit ad vendendum, permutandum, edendum instrumenta, aut quomodo libet paciscendum: nam promissor pace secuta tenetur ex pacto,

pacto, *Th. 17.* sed vicissim hostis ei ex injuria. *Th. 8.* Et proinde effectu nulla erit actio hostis, qui vim fecit, cum tantundem saltem debeat. *Secl. 1. Th. 10.* Quare ratione omnes hujusmodi extorsiones invalidæ & vitiosæ judicantur in pace *Osnabr. art. 4. §. contractus 46.* in pace Sveco-Polonica *de anno 1660. art. 10. art. 11. & art. 28.* apud *Loccen. Hist. Svec. ad fin. pag. 910.* Quod si uterq; jure civili utatur, promissor restitui potest ex edicto Prætoris, *Quod met. caus. Secl. 1. Th. 12.*

XIX. Si autem vis non sit omnium judicio illicita, uti si hostis publica autoritate, & cum jure belli posset, aliquos adegit ut promitterent, hi tenentur ex pacto; *Th. 17.* non autem vicissim hostis de injuria, nisi in nostra vel amicorum civitate negotium agatur: *Th. 1.* quia in ea negatur hostem habere justam causam. *Secl. 1. Th. 3. & 10.* Quale est, si quid contributionum nomine promissum est; id igitur hostis exigere potest, etiam in pace, dum promissores in ipsius sunt potestate; si verò ad suos jam reversi fuerint, non tenentur: quia apud eos hostis vicissim dicitur teneri de injuriâ ad damnum hoc reparandum. *Th. 1.* Solent tamen hodie reservari contributiones pacto expresso; aut certum tempus addi: ut in pace *Noviomageni Cæsareo Gallica. art. 30.* & in pace *Gallo Hispanica, de anno 1678. art. 17.* & *Gallo Belgicâ ejusdem anni. art. 12.* Quo facto ubiq; debentur, non tamen vi armisq; exigi possunt, quod & expresse cautum in *d. pace Noviom. art. 30.* & tamen *Galli anno 1679.* non modo bellicis executionibus usi sunt in cives Imperii, sed & *Landavio & Brisaco* citationes & apparitores cum minis &c. emisere: quam in alieno territorio viam facti esse constat. *Gandavi* verò novas etiam impo-

imposuere pace facta, sed antequam tamen urbs evacuaretur.

XX. Non eadem est ratio in eo, quod captivus pro libertate suâ pretium promittit; id enim omni jure justum ac licitum est, & semper hoste quoque Judice exigi potest. Nec moveri à promittente quoque potest, quòd hostis vicoegerit, ut promitteret: nam & tum promisit, cum esset sub hostium jure & judicio: nec vis est, cum captivus cupidine libertatis non expectata pace pretium pro libertate suâ offert: Adeò, ut licet pace comprehensum sit postea, ut captivi sine pretio dimittantur, tamen, si ante pacem jam promissum sit, omnino debeatur. Quod & statutum in pace Sveco Polonica Gedanensi, 1660. art. 14. art. 23. art. 27. apud Loccen. *Hist. Svec. pag. 910.* Hoc inter gentes adeò hodie valet, ut publicis pactis pretia hæc definiiri soleant; ceu factum inter Gallos & Hispanos apud Marian. *de Reb. Hisp. lib. 27. c. 18. infm.*

XXI. Hinc & sequitur, si hostis in occupatis locis sententias dixerit, & judicata fecerit, quousque valeant: si enim adversus nostros homines sententiæ latæ fuerint, conveniri inde reus in territorio hostili aut tertio omnino potest; *Sec. 2. Th. 3. 4.* at in nostro confederatoque non potest, *Sec. 2. Th. 1. 2.*

XXII. Si verò sententia secundum nostros contra civem hostium lata sit, in omni loco valet, quia condemnatus ubique sequitur judicium suæ civitatis, quæ sententiam eam probat. *Sec. 1. Th. 5.*

XXIII. Transactiones vi extortæ valent, ut alia pacta, *Th. 17.* nec debitor, si coact⁹ ex transactione solverit. injuriæ ratione, nisi apud suos, si hostis ibi inveniatur, agere potest; ut *in Th. 10. & 11.* nec creditor aliter, si solu-

tionem remiserit: idem enim est quod in *Th. 14*. At si ex transactione ista invicem aliquid adhuc debeant, is qui coactus est, conveniri quidem effectu non potest, estq; eadem species quæ in *Th. 18*. Is verò, qui coëgit, planè tenerur, quia & pactum valet, *Sect. 1. Th. 10*. nec is nullam injuriam passus dicitur, sed fecisse. *Sect. 5. Th. 4. num. 4.*

XXIV. Dispositiones denique, etsi in odium causarum belli factæ, valent tamen, si aliàs vitiosæ non sunt; adeo ut exheredationes quoq; valeant, si alio vitio non laborent. Uti & sententiæ in hostili territorio contra nos latæ vim judicari obtinebunt, si aliud non obster. *Sect. 1. Th. 5.*

XXV. Ex quibus omnibus sequitur, si quis è nostris ad eum populum, cum quo pax absque amnestia contracta est, transeat, animo cives nostros vel res eorum prodendi, ut deprehensi in eorum finibus capiantur, eum pro transfuga & perduelle habendam: quia tot jura hostilia in pace supersunt omisâ amnestiâ: uti id quoque, & rectè definitur, in *l. 19. §. 8. de Capt. & postl.*

SECTIO IV.

De

AMNESTIA IN GENERE.

SUMMARIA.

1. *T*ransitio ad Amnestiam. 4. Quod exemplis demonstratur.
2. Definitio amnestiæ.
3. Amnestiam olim solis dissi- 5. Hodie verò inter Christianos diis civilibus componendis paci eâ applicari, indeq; duo esse adhibitam ostenditur. esse pacis capita s alterum de

- de causa belli; alterum de 9. Divisio amnestiæ, in gene-
damnis & injuriis. ralem & specialem; in aliam
quæ paci adjicitur, & aliã
quæ per se statuitur.
6. Accurate hoc observatum in
pace Osnabrugensi & Mona-
steriensi. 10. Quis amnestiam constitui
re possit?
7. Quomodo ab amnestia cœpit
illa pax. 11. Olim non amnestia, sed ejus
loco amicitie seu hospitii
clausulã bellis adjici solitam.
8. Non idem semper esse initium
belli & amnestiæ.

I.

EN, quæ & quot reliqua adhuc sicut è bello vul-
nera, etiam pace facta! Quæ materies conci-
piendis iterum odiis! Hæc igitur vulnerum,
quæ resident in animis hominum, genera prius or-
dine & exactè exponenda fuere, quam medicina, quæ
iis adhibenda est, explicari possit. Dum igitur de-
litefcit illa *καταμνηστια* sub pacis cineribus, animosque
partium coquit, nihil pronius, quàm ut illa excitata ho-
rum jurium exercitio in belli incendium iterum e-
rumpat.

II. His igitur malis morbisq; civitatum reme-
dium & quasi Panacea quædam est, *AMNESTIA*, quæ
est eorum, quæ durante discordia hospitiliter utro citroq; fa-
cta sunt, publicè sancita *Oblivio*: qua id agitur, ut hæc sa-
lutaris quasi herba, quicquid è disfidii publicis reli-
quum est ulceris, ei medeatur, omniumq; inde inju-
riarum acerbiorumq; non sensum modo, sed & me-
moriã deleat atq; obliteret.

III. Mirum verò videri potest, Amnestiæ clau-
sulam hodie bellis componendis applicari, quæ tamen
non ad bella, sed ad dissensiones civiles pertinet. Ci-
vium

viu[m] enim disidia pace propriè non conciliantur, cum pax sit transactio de bello, *Secl. 1. Tb. 6.* bellum verò non nisi inter hostes; *l. 234. pr. de V. S.* hostes autem esse populos urrinque liberos, non autem ejusdem civitatis cives. *L. 118. eod. L. 24. Cap. 8. postl.* Hinc summo Reipublicæ malo gliscunt discordiæ civiles, ubi certum non est earum abolendarum & jungendæ amicitia[rum] remedium. Ita enim comparatum est inter homines, ut inter iras nullum sit nisi vindictæ studium, nisi certa constet disidii honestè componendi ratio, & certum quasi remedii nomen sit.

IV. Celebrari itaque inter gentes cœpit Amnestiæ remedium ac nomen, postquam in longè clarissima totius Græciæ civitate Athenarum, ejectis triginta Tyrannis, horrendum illud civium disidium per Populiscitum, quod *Ἀμνηστίας ψήφισμα* dicebatur, compositum; iterumque in principe terrarum urbe Româ occiso Cæsare repetitum solenniter fuit, de quo *Vellej. Pat. lib. 2. in Hist. bell. civ. Corn. Nep. in Thrasib. Plut. in C. Cæs. c. 97. Cic. in Philipp. 1. in princ. Just. lib. 5. c. 11. Valer. 4. c. 1. S. 4. in externis.* Quamquam dudum Romani eodem remedio usi fuerint, cum ejectis Tarquiniis Amnestiam decernerent iis, qui tum Tyranno affugerant, modo intra viginti dies redirent, *Dion. Halic. lib. 5. c. 13.* Inde commune id remedium gentium factum est, eoque usus Domitianus Patrum in Senatu odia per tot factiones trium Imperatorum conciliavit. *Tacit. Lib. 4. Hist. c. 44.* Postea Aurelianus eo motum populi Romani sedavit. *Vopisc. in Aurel. c. 39.* Talis Amnestiæ sanctio est pax Constantiæ, *FridERICI & Henrici VI. vid. Const. de Pace Constant.* Eandem cum Ferdinandus I. inter Status Imperii, pace religio-

religiosa constituisset, laudat id factum summo opere filius ejus Maximilianus II. & apud Henricum III. Galliae & Poloniae Regem gloriatur, *armis antea irritatum Imperium, at Amnestiâ sancitâ, ex eo summam in Imperio tranquillitatem fuisse*; eandemq; commendat Galliarum Regi: quod referens prædicat merito Thuan: *Hist. ad annum. 1574. l. 5. 8. post princ.* Tali amnestiæ decretô pacata est Anglia temporibus Elisabethæ; Cambden. *in Hist. Elis. part. 3. ad ann. 1585.* & jam antea factiones albæ & rubræ rosæ. Eadem coaluit iterum Gallia è Condæorum dissidio; *Priol. Hist. Gall. lib. 5. pag. 271.* & Belgium occisis Wittriis. *Annal. ad ann. 72. Sc.*

V. Ita ergo Amnestia quidem inventa est abolendis dissidiis civilibus, non bellis. At hodie inter Christianos publicè & piè admodum receptum usitatumq; est, ut ea paci quoque adjungatur; cujus tum duo distincta sunt pacta seu capita, probè semper discernenda. Per pacem enim de bello ejusque causis; per amnestiam de injuriis damnisque, quæ singuli invicem intulerunt, transigitur. Illa gravamina publica utriusq; partis, quæ bello gerendo causam dederunt decidit; hæc ipsius belli, dum gestum est, damna ac injurias: illa negotium, de quo bellum fuit determinat; hæc quæ in belli processu acta sunt. *Sec. 1. Th. 8. 9.*

VI. Hæc accuratè distinguntur in pace Westphalica, & alterum caput *gravaminum* dicitur, alterum *Amnestiæ*, ut in tabulis pacis Osabr. *art. 16. §. restitutione ex capite Amnestiæ & gravaminum facta. 5.* Et in Monaster. *§. Restitutione ex capite Amnestiæ & gravam. facta. 105.* In executione pacis, *Friedens- executions- Haupt- Recessi*, tota executio pacis refertur passim ad duo capita, *gravaminum & amnestiæ*, & ad eos, die ex capite amne-

fiar vel gravaminum, zu restituiren seyn. uti in §. 2. §. 3. §. 23. §. 26. §. 27. & 30. & in arctiori exequendi edicto an die Creysß, ausschreibende Fürsten / planius & luculentius adhuc separantur.

VII. Atq; hoc primum fuit, quod Sveci anno 1645. in suis propositionibus pacis urgebant, *prop. 3.* ut Cæsar ante omnia in toto imperio & inter omnes ejus cives, subjectos ac socios universalem ac illimitatam amnestiam decerneret. Atq; ab hoc articulo cæpere dicto anno tractatus Osnabrugi & Monasterii, eoque expedito demum actum est de causa belli ac negotio pacis. Cum enim Clerus implacabili odio arderet in eos, qui abusibus ecclesiasticis, (de quibus per plura retrò secula jam maximæ universorum quærelæ ortæ, ac cum primis gravamina Nationis Germanicæ in Comitibus proposita erant,) temperatum atq; occursum volebant, & ad internecionem pugnari cuperent, longè sanctior, cordatius & prudentior Politici utriusq; partis seferunt frustra de pace agitari, nisi constituta prius amnestia absoluta: nec de publica causa transigi posse, nisi conciliatis primum partium odiis.

VIII. Ex dictis autem sequitur, non idem esse initium belli & amnestiæ, sed hac contineri quoq; injurias & simultates, quæ ante bellum ex eâdem causa extiterunt: amnestia enim (per ea, quæ de ejus origine ac natura deduximus) non est pactio de bello, sed de disidiis & injuriis singulorum, quæ jam ante bellum publicè indictâ plerumq; cæperunt; adeoq; illorum, non belli initium respicit. Idq; optimè observatum fuit in utraq; pace Osnab. *art. 2.* & Monast. §. 2. cautumq; ut omnes & singulæ hinc inde tam ante bellum quam in bello illatæ injuriæ, violentiæ, hostilitates, damna, expensæ penitus abolita.

lira sint. &c. Quod ipsum quoque cautum est in pace Sveco Danica anno 1660. *art. 1. verb. Quicquid tam antea, quam durante belli tempore enasci potuit.* apud Loccen. *Hist. ad fin. pag. 938.* Unde & in definitione amnestiæ belli mentionem non fecimus. At si ex alia causa, quam ex qua bellum secutum est, processit injuria vel debitum, id huc non pertinet. quia ex alia causa est, quam de qua per amnestiam transactum est: veluti si quis ante bellum privato odio spoliaverit.

IX. Constat autem facile, aliam esse amnestiam generalē, quæ ad omnes personas & causas pertinet, ut in pace Westphalicâ, Noviomagensi &c. aliâ specialem, quæ ratione certarum personarum vel rerum statuitur: qualis decreta est in pace Verriniana Sabaudæ; §. 27. in Pirenæa, Lotharingo & Condæo; §. 62. & §. 83. in Noviomagensi, Furstenbergiis. *art. 23. &c.* sed & â generali amnestiâ plarimi aliquando excluduntur; uti in pace Pragenfi Brachel. *Hist. lib. 5. ad annum 1635.* in Anglo Belgica *de an. 1654. art. 27.* ubi reservatur vindicta in auctores cædis Anglorum in Amboyna. Alia quoque amnestia est, quæ paci adjicitur *Secd. seqq.* alia quæ extra pacem per se constituitur, de quo *Tb. 5.*

X. Amnestiam tantum constituere potest princeps vel liber populus, qui jus belli ac pacis, legumq; ferendarum habet; ex eâ enim obligantur utrinq; subditi ad remittendas injurias suas, damnaq; sibi data; ad id autem obligari non possunt, nisi à summa potestate. Magistratus enim inferior secundum jura tantum judicare, non autem jus quæsitum auferre potest.

XI. Veterum quidem moribus receptum non erat, clausulam amnestiæ, ut nunc ejus forma est, paci adjicere. Sed pactionem tamen de mutua amicitia utriusq; gentis.

gentis, vel de mutuo jure hospitii adicere soliti sunt, quæ eosdem habuit effectus, etsi amnestiæ clausula plenior sit. Uti in formula pacis inter Romanos & Antiochum hæc clausula inserta est, apud Polyb. *Exc. legat. c. 35.* Φιλίαν ἑωράξεν Ἀντίοχος καὶ Ῥωμαίοις εἰς πάντα τὸν χρόνον. *amicitiam fore perpetuam inter Antiochum & Romanos.* Idem evidens est, *ex l. 5. §. 2. de cap. & postl.* ex qua constat, aliquando contrahi cum gente alia pacem sine pacto amicitiae vel hospitii, aliquando cum tali pacto; quod hodie est ipsa nostra pactio amnestiæ, ut ex effectu patet: de quo *Secl. seq.* Item *ex l. 19. §. 8. eod.* ubi itidem de populo agitur, cum quo pax est sine amicitiae pacto; pax enim pertinet ad causam, amicitia ad personas, per illam controversia sopitur, per hanc odia; atque adeò id olim fuit, quod hodie amnestia.

SECTIO V.

De

AMNESTIA PACI SIMPLICITER ADJECTA SINE LEGE RESTITUTIONIS.

SUMMARIA.

1. *Amnestiæ nec semper eam legem adjici, ut in eodem statu res maneant; nec ut in pristinum restituantur, sed variare leges ejus & pacta.*
2. *Quid igitur juris, si amnestia simpliciter absque ulla lege paci adjecta sit.*
3. *Per eam duo agi, (I.) ut lites sopiantur. (II.) injuria remittantur.*
4. *Hinc quinque regulæ Amnestiæ statuuntur.*
5. *Per*

- | | |
|--|--|
| 5. Per amnestiam tolli jus post-
liminii. | remissa post Amnestiam an
repeti possint? |
| 6. Tolli quoq; jus vindicandi
injurias ab autoribus eorum. | 12. 13. An ex conventionem vi ex-
torta agi? Disting. |
| 7. Et alia delicta ac crimina. | 14. An valeant sententiæ & res
judicatæ, ita ut agi quoque
inde post amnestiam possit? |
| 8. Quæ crimina non videantur
per amnestiam remissa esse? | 15. An transactiones vi extortæ |
| 9. An delicta, quæ cives vel
Vasalli contra Dominum
suum commiserunt? Ubi conci-
liatur species Mevii & Pe-
trini Belli. | 16. An dispositiones &c. in odi-
um partis factæ? |
| 10. 11. Debita publicata aut | 17. Post amnestiam, qui tran-
sit ad alterum, pro trans-
fuga non haberi. |

I.

UT autem effectus & jura Amnestiæ in omnibus, quos hactenus exhibuimus, casibus pateant, sciendum porro est non semper amnestiam ea lege adjici, ut omnia in priorem statum restituantur, aut ut omnia in eodem statu maneant, sed variant ejus pacta & leges. In pace Osnabrug. & Monast. ea lex amnestiæ fere est, ut res restituantur in statum, in quo ante bellum fuere. *art. 2.* Contra in Anglo-Belgica *de an. 1654. art. 3.* apud Brach. *Hist. in fin.* In Anglo-Danica Bredana *de an. 1667. art. 3. & 5.* ut in eodem statu maneant, quibusdam exceptis. In Hispano-Belgicâ *de anno 1648.* ut publica eundem statum servant, privata restituantur, *art. 3. & 4.* quæ tamen pactis variè mutantur. Atq; hoc est; quod Menippus dicebat: *Cum pares bello æquo fœdere in pacem atq; amicitiam (en pactum amicitia, paci adjectu m instar hodiernæ amnestiæ!) venirent, tum repeti red di- que per conventionem res, & si quarum turbata bello*

G

posses.

possessio sit, eas aut ex formula juris antiqui, aut ex partis utriusq; commodo componi Liv. 34. c. 57.

II. Unde quæritur, si nihil ea de re dictum, sed simpliciter amnestiæ vel amicitiaæ pactum adjectum fuerit paci, an tum res restitui, an in eodem statu manere debeant. Resp. Manere res in loco quo sunt, cum repeti non possint, quasi injuria ablata; sed defendi præsentem possessionem juxta regulas traditas *inf. Tb. 4.* Ex quibus proinde compendio ostendemus, qua ratione omnia illa jura postliminii cæteraq; quæ ex bello superesse in pace diximus, & recensuimus *Secl. 2. & 3.* per amnestiam simpliciter sopiantur.

III. Cum igitur duplex malum sit, cui sanando adhibetur amnestia; cum ipsa discordia & contentio partium, qua alter jus esse ait, alter negat: tum injuriæ, quæ per occasionem ejus disidii inter partes facta est, vel facta esse dicitur, vindicandæ & persequendæ studiû; quod utrumq; per amnestiam tollitur, & plena quies, quoad potest, restituitur: hinc duo per amnestiã aguntur. (I.) ut quicquid litis vel simultatis inter partes ex causa superioris discordiæ adhuc resederit, abolitum sopitumq; sit. (II.) ut quicquid per occasionem ejusdem disidii injuria factum dicitur, remittatur: Neutrius ergo nomine lis aut actio admittitur, nedum, si, quæ fuit, sopita est, resuscitatur, sed præsens possessio defenditur. Quod nervose Cujac. *ad 4. sent. Pauli tit. 17. in princ.* ita exprimit. *Post Amnestiam accusationem institui & repeti non posse.*

IV. Hinc sequuntur hæ regulæ Amnestiæ: (I.) Quicquid disidii inter partes fuit, id totum abolitum transactumq; nec eo nomine actio esto. Cujus consecrarium plane est; id quod omniâ amnestiã peti non potuisset, id eâ

eâ adhibitâ multò minùs posse; quia per amnestiam lites & actiones sopiuntur, non nascuntur. *Th. præc. n. 1. (II.)* Non tamen quod decisum transactumq; est, resuscitator. *Th. præc. n. 2. (III.)* Quicquid iudicio vel utriusq; vel unius partis injuriâ factum dicitur, id remissum, nec eo nomine actio esto, *Th. præc. n. 2. (IV.)* Quod utriusq; partis iudicio jure gestum est, ratum esto: Si enim illud absq; amnestia quoq; valet, *Secl. 3. Th. 17.* nedum ea adjectâ; quæ injurias tantum & disidia abolet, non verò jure gesta refigit. (V.) Si qua ex alia causa, quàm hujus disidii, lis vel actio est, vel quid inter alios, quàm partes disidentes gestum actumque est, eò amnestiæ clausula non extenditor, quia de hujus tantum disidii, non aliis causis transegere partes. *Th. præc.*

V. Primum igitur pace facta, cui lex amnestiæ simpliciter adjecta est, cessat totum jus postliminii, quod *Secl. 2. Th. 29.* diximus in pace quoq; competere. Quod & traditur in *L. 5. §. 2. de Capt. & postl. & in l. 7. princ. eod. quam de federe amicitia loqui ex §. seq. patet, & sup. monuimus.* Cum enim ideo postliminio res priori domino restituantur, quia injuriâ ei ablata dicitur; *Secl. 2. Th. 1.* eam injuriæ memoriæ amnestia deleuit. *Secl. 4. n. 2.* Omnia igitur illa jura postliminii, quæ *Secl. 2.* latè tractata sunt, quæque proinde hic referri necesse non est, unâ amnestiæ, veluti olim amicitia, clausulâ delentur. *Secl. 4. Th. ult.*

VI. Eadem ratione nec injurias & damna bello illata ab eorum autoribus post amnestiam vindicare possumus, etsi ad nos vel amicos nostros illi pervenerint. *in omnibus casibus Secl. 3. Th. 1 & seqq. usq; ad Th. 8.* idq; iterum est, quod traditur in *d. l. 5. §. 2. & d. l. 7. pr.* Unde in pace Osnabrug. *art. 2. Monast. §. 2. Noviomag. art. 1.*

adeò hæc abolita per amnestiam dicuntur, ut nihil eo nomine prætendi possit.

VII. Quod ipsum ad alia quoque delicta & crimina, omnium iudicio vetita pertinet, quæ per amnestiam remissa censentur, nisi quædam crimina vel personæ sunt specialiter excepta: ut banniti in pace Hispano Gallicâ de anno 1559. art. 7. Alia exempla vid. *Sect. 4. th. 9.* Unde ea remissa per Amnestiam censentur etiam rebellibus, prædonibus, transfugis, &c. nisi excipiantur. Et frivolum est, quod ex jure civili affertur, non prætumi hæc remissa. Jure gentium enim remissio generalis omnes species complectitur donec appareat exceptio. At verum est, iis non restitui bona hoc nomine jam publicata vel ablata: per amnestiam enim non id agitur, ut detur alicui actio & persecutio, sed ne detur: abolentur per eam, non conceduntur actiones. *sup. Th. 4. reg. 1. & 3.* In specie igitur hoc casu restitutio bonorum comprehendendi debet; sic factum in Pace Constantiæ Friderici Imp. §. 1. *vers. Possessores & Pace Madrit. art. 30.*

VIII. Cæterum, ut remissa videantur crimina, requiritur, ut (I) talia sint, quæ remitti à Principe possint; de quo *Sect. ult.* nec (II) talis sit actus, qui extra causam belli & hostilis odii gestus est, nec quicquam cum excessibus civilibus commune habet: *Th. 4. reg. 5.* uti, si cum hoste ultrò contraximus, vel hostis negotia nostra gesit, & in his causis dolo vel per scelus aliquid admisit: non obstante enim amnestia id persequi possumus. Quin &, si delictum committat, quod ad actus hostiles non pertinet, uti si, dum locus aliquis in hostium potestate fuit, vel hostium aliquis incolæ, vel hie hosti furtum fecerit, ejus persecutionem amnestia non excludit: quia alia causa est, quam hujus disfidii,

Th. 4.

Th. 4. reg. 5. Unde probè iterum in pace Osnabrugensi, Monasteriensi, Noviomageni & aliis, amnestia, etsi generalis & illimitata, restringitur tamen expresse ad ea, quæ ab una vel altera parte, ultro citroq; **HOSTILITER** facta sunt. *art. 2.* De aliis ergo delictis in specie cavendum est.

IX. Sed an etiam per amnestiam remissa videntur delicta, quæ vasalli vel subjecti adversus suum Principem bello commiserunt? Resp. Amnestiâ transigitur tantùm de injuriis inter partes factis, & quas una pars disidentium alteri intulit; *Th. 4. reg. 5.* non verò de iis, quæ unius partis subditi committere: uti si civis noster dicitur civem suum verberasse, vel occidisse, vel falsum commississe in judicio, vel miles noster in excubiis dormisse. Hostis enim non pro nostris hominibus, sed pro suis paciscitur. *d. n. 5.* Quæstio ergo non est nisi de delictis, quæ cum hoste patrata sunt, uti si civis noster contra edictum frumenta & merces hosti subvexit. Mevius *part. 8. Dec. 302.* cum in facto id contigisset, putat hæc delicta non obstante amnestia puniri posse, quia hostis suis tantùm prospèctum voluisse videtur. At Petrinus Bellus *de remil. part. 10. §. 17. & 18.* ait: cum nobilis Hispanus consilia hosti dedisse ac retulisse aliqua convictus esset, liberatum eum per amnestiam fuisse, & ita latè consuluisse Angelum *Conf. 287.* Ita tenendum. Si quis non animo hostili & proditoris, ut Rempublicam pessumdarer, sed mercator, lucri cupidine ductus, quædam hosti contra edictum vendidit, id sub amnestia non continetur, quæ tantùm remittit injurias, quæ ex partibus hostium nobis illatæ sunt, non quæ à nostris; *d. reg. 5.* horum enim causa nihil ad hostem. Atq; is est casus Mevii. Si verò proditoriè & animo hostis juvandi atque in nos

instruendi aliquid agat, v. g. arcana revelet ac prodatur, is verè non nostrarum est partium sed hostium. & horum causam, non nostram sequitur; corpore noster, mente hostium, quia actu perduellis est ac hostis. Hujus ergo injuria, tanquam ex partibus hostium illata, per amnestiam remissa videtur, *Señt. 4. Tb. 2. quæ est species Petrini Belli, & Angeli.* Quamquam tutius sit speciatim caveri iis, qui partes alteras secuti sunt, quod fieri solet, ut in pace Gallo Hisp. *de anno 1559. art. 39.* Pace Pirenæa *art. 6.* Sveco Pol. *de anno 1660. art. 24.* apud Loccen. *d. l. &c.*

X. Hinc planè sequitur, quòd post amnestiam nec debitor noster, cujus cum in hostium potestate esset, debitum publicatum ab hoste vel remissum est, amplius conveniri possit, etsi apud nos vel amicos sit; quia injuriæ memoria deleta per amnestiam, & actio sublata est. *sup. Tb. 4. reg. 1. & 3.* Quæ species est, quam Papon. *de Arrest. lib. 5. Tit. 6. art. 2.* refert, & ira Anno 1549. arresto Parisiensi contra Belgam decisum ait, qui debitum pendente bello publicatum secuta pace à Gallo debitore petiit: nam paci, quæ hanc sententiam antecessit, & inter Carolum V. ac Franciscum I. anno 1554. juncta fuit, & amnestiæ pactio adjecta, & præterea expressè cautum erat, ne debita publicata repeti possent. *art. 25.* Unde ineptissimè Paponius confundit hanc speciem cum nomine Thebarum, quod Alexander Thessalis donaverat, de quo *Señt. 2. Tb. penult.* Similiter de hujusmodi debitis alienatis & amnestiâ deletis ne amplius peti possint, cautum fuit in pace Madritensi *art. 21.* Vervinia *art. 7.* Pirenæa *art. 20.* Hispano-Belgica *de An. 1648. art. 55.*

XI. Nec vice versa creditor, cui hostis, cum in ejus potestate esset, nomen abstulit, id post amnestiam repe-

repetet, in casibus *Secl. 3. Th. 14.* adeo ut, licet ipse debitor, qui ab hostium partibus est, compulerit eum, ut accepto tulerit, non tamen conveniri possit, quia creditor allegare injuriam acceptilationis propter amnestiam non potest. *d. Th. 4. reg. 3.* At si creditor sit e gente pacata, ut in *d. Secl. 3. Th. 13.* non obstante ulla amnestia is debitum petit; quia pactio amnestiae hostes tantum, inter quos contrahitur, eorumque subjectos, non autem tertium populum obligat. *Th. 4. reg. 5.*

XII. An ergo hostis, qui coëgit te ad paciscendum, exinde agere propter amnestiam potest? Ita videtur, si cuiusque actus rationem seorsim atque adstrictè sequimur: nam Tu omnijure teneris ex pacto; *Secl. 1. Th. 10. & seqq.* quod amnestia non tollit. *Th. 4. n. 4.* non vero hostis de injuria, quam amnestia delevit. *Sup. Th. 4. n. 3.* Sed contra dicendum est, hostem agere non posse, quia nequidem omisâ amnestiâ potuisset, *Secl. 3. Th. 18.* nedum adjecta; cum amnestia non inducat actiones, sed tollat. *Sup. Th. 4. n. 3.* Non verò justū est dividi negotium, & separari à promissione vim injustam, qua extorta est; ut promissor ex promissione quidem sua teneatur, non autem alter de injuria sua, utque is, qui fecit injuriam, agere possit; qui passus est, non possit.

XIII. Secus est, cum hostis publice id imperavit atque extorsit quod jure belli licet, & ideò tantum nostro judicio pro injuria id habetur, quia hosti justam esse belli causam negamus. *Conf. Secl. 3. Th. 19.* Hic enim ratio *Th. præc.* cesfat; quia hosti ex pacto datur actio amnestiâ omisâ etsi in nostro territorio injuria ei objiciatur: *Secl. 3. Th. 19.* hac ergo per amnestiam sublata manet actio quæ ante fuit, *d. Th. 19. Th. 4. n. 4.* Uti si contributorum nomine cives aliquid promittere vi hostili coacti sunt: debent enim ex fide datâ *Secl. 1. Th. 10.* nec vicissim

cisim de injuria alterius queri possunt, etsi is intra fines nostros deprehendatur. quia amnestia ipsum absolvit. *Tb. 4. n. 3.* Et adeo contributiones illæ debitæ visæ sunt, ut in pace Hispano-Belgica, etsi non reservatæ, tamen cura & modus earum commissa sint hujusmodi negotio præfectis. *art. 64. apud Aitzema, de tract. pac. Belg. in fin. & Brachel. Hist. l. 9. c. 1.*

XIV. Judicia quoq; sententiæ & res judicatæ, & alia, quæ per hostem in locis bello occupatis & deditis ac per pacem recuperatis, juris exequendi gratia acta sunt, valent per amnestiam; etsi adversæ partis iudicio hostis non jure ea egisse dicatur. *Sect. 1. Tb. 3.* quia nec quod decitum est, rescindi post amnestiam, *Tb. 4. n. 2.* nec injuria accusari potest *d. Tb. n. 3.* modò aliud vitium non insit, quod etiam contra procesum legitimi magistratû moveri posset: ut optimè id cavetur in pace Osnabr. *art. 4. §. 49.* & in Hispano Belg. *art. 22. apud Brachel. & Aitzema dd. ll.* Unde non modo si reus absolutus est, omnis actio cessat, quod indubium est, *per d. Tb. 4. n. 1.* sed & si damnatus est, actio tenet & conveniri potest: etsi enim amnestia non pariat actiones, sed sopiat, *d. n. 1.* id tamen secus est, si res decisa sit, licet vi hostili; quia amnestia lites extinguit, non vero sopitas resuscitat. *d. Tb. 4. n. 2.* Nisi autè actio daretur victori, ex integro prior causa agenda esset, surgerentq; iterum lites, quas amnestia delevit. Ira valere acta & sententiæ Gallorum in terris Pedemontii & Sabaudia bello occupatis & postea cum amnestia restitutis, *pace Hispano-Gallica de anno 1559. art. 38.* Item interris Lotharingiæ ac Barry, *pace Casareo Gallica Noviomag. art. 21.* Et inter Svecos ac Polonos, *pace Sveco-Polonica. art. 4. §. ult. apud Loccen. in Hist. Svec. ad fin. p. 906.*

XV. Qua ratione transactiones quoq; vi extortæ simpliciter tenebunt, dabiturq; inde etiã cogenti actio. *d. Th. 4. n. 2.* Etsi enim hæc actio alias sine effectu foret, quia ob injuriam ad tantundem teneretur, *Secl. 3. Th. 18.* tamen secus est re transacta, etsi per vim; quia amnestia cum injuriæ mentionem aufert, *d. th. 4. n. 3.* tum quod transactum est firmat, non solvit. *d. th. 4. n. 2.*

XVI. Dispositiones, exheredationes &c. etsi in odium partis adversæ factæ sint, tamen, si aliud vitium non habeant, valent, nec per amnestiæ legem infirmantur: Conf. *Secl. 3. th. 24.* quia etsi in odium, non tamen injuria factæ sunt; amnestia verò odium quidem causæ detrahit, at non vim dispositionibus validis; & injuriam, non jus negotiis aufert: *th. 4. n. 4.* nisi appareat partes pœnitentia à priore voluntate recessisse.

XVII. Deniq; cum per amnestiam amicitia contrahatur, non potest pro transfuga haberi, qui ab amico ad amicum transit. *l. 19. §. 8. de Capt. & postlim. Secl. 3. th. fin.*

SECTIO VI.

De

AMNESTIA CUM LEGE RESTITUTIONIS.

SUMMARIA.

- | | | |
|--|--|--|
| <p>1. EXplanatio Restitutio-
nis, quæ amnestiæ adji-
citur.</p> | <p>2. Eam restitutionem, quæ vul-
go statuitur vel juris vel</p> | <p>gratiæ, pessimè huc applica-
ri: Hic ferè agi de ea, quæ
ex pacto fit, & generaliter
intelligenda est.</p> <p>3. Multum interesse inter re-
stitutio-</p> |
|--|--|--|

H

- stitutionem ex causa Amne- 8. 9. *Lege hac adjecta restitu-*
 stia, & ex causa pacis seu *tionem fieri omnimodo, non*
 gravaminum: illam intel- *expectato, dum res post-*
 ligi salvis iuribus, hanc pu- *liminio, vel auctores damno-*
 re.
4. *Eam differentiam accurate*
observari in Pace Osnab. &
Monast.
5. *Hinc, quicquid ea statuit,*
de statu religionis & quæ eo
pertinent, bonorum ecclesias-
ticorum, ea purè & sine
reservatione valere.
6. *Nihil ergo horum reserva-*
tum esse in art. 4. §. 8. sed
eum pertinere ad causam
amnestiæ.
7. *Ex d. §. 8. Statum religio-*
nis, & quæ eam sequuntur,
bonorum ecclesiasticorum,
nec vi nec jure mutari pos-
se; reliqua verò, quæ ad cau-
sam amnestiæ pertinent, ju-
re tantum, non vi.
10. *An emtor restituere teneat-*
tur nullo recepto pretio? aff.
11. 12. *An & restituendi fru-*
ctus medii temporis? Dist.
13. *An captivi promissum ly-*
tron debeant? Dist.
14. 15. *An nomina obligatio-*
nesque vi extortæ? dist.
16. *An sententiæ & judicia? Dist.*
17. *An transactiones vi extor-*
tæ? aff.
18. *An dispositiones in odium*
partis adversæ factæ? Neg.
19. *Transfugas quoq; restitu-*
endos, at non puniendos.
20. *Restitui res (I.) impensis de-*
ductis. (II.) à cæpto dissidio.
21. *Duæ regulæ notantur.*

I.

Dictum est *Sect. 5. th. 1.* amnestiam vel simpliciter pa-
 ci adjici, vel cum lege restituendi in pristinum
 statum. Restitutio hæc est, cum res, quarum
 bello turbata est possessio, in jus antiquum, quod initio
 belli fuit, redeunt; restitui enim dicitur, quod plena-
 riè in priorem locum reponitur, l. 38. §. 4. ff. de Usur. &
 fruct.

fruct. Eamq; pactionem esse existimo, quam ex formula juris antiqui fieri, ait Menippus apud Liv. lib. 34. c. 58. quæ pactio, cum ferè mutua sit, æquisima omnino & sine cujusquam indignatione justa est, ut loquitur Ulp. in l. i. pr. ff. Quod quisq; jur. in alter.

II. Restitutionem vulgò faciunt, aliam juris, quæ ex edicto prætoris rescinditur negotium: t. t. ff. de in integ. restit. aliam gratiæ, quæ fit à Principe delicti gratiam faciente: & strictissimi juris dicitur t. i. c. de sentent. pass. & rest. eamq; huc applicant Gudel. de jure pac. c. 4. & 5. & aliis; sed proriò abs re: cum neutra huc pertineat, ubi de restitutione ex pacto, vel amnestiæ vel paci adjecto, agitur. Et omnino vana sunt, quæ ex jure civili iterum afferuntur ad limitandam restitutionis vocem: cum jure gentium lege illa generali restituendi res in pristinum statum, omnes species contineantur, donec appareat exceptio. Unde omnino rebellibus &c. quoq; bona restituenda sunt, etsi alienata; licet in specie id dictum non sit. Et ita in Pace Osnabr. & Monast. omnes, qui hoc nomine arguebantur, hac generali lege restitutionis comprehensi sunt. Et pace Constantiæ specialiter id dicitur, quia alia lex restitutionis adjecta non fuit.

III. Porrò, hic norandum, quantum interfit inter restitutionem, quæ fit ex causa amnestiæ, & eam, quæ fit ex causa pacis seu transactionis de ipso negotio, quod caput gravaminum pax Westphalica vocat. Sect. 4. th. 6. Ex causa amnestiæ quæ fit restitutio, ea semper intelligitur, SALVIS JURIBUS; quia per eam res reducitur ad eum statum, qui in initio belli vel disidii fuit: th. 1. adeoq; eadem jura, quæ tum fuere, integra & actiones salvæ sunt. Igitur per amnestiam non dominium suâ naturâ transferrur; sed tantum respicitur restituiturq; eadem

possessio. quæ initio fuit: atq; hinc in allegato Livii loco dicitur, tali conventione res repeti, quarum bello turbata fuit possessio. At restitutio ex pace ipsa fit absolute & jure perpetuo: per pacem enim transigitur de negotio *Set. 1. th. 6. 7.* Si qui autem de ipsa causa transigunt, eoq; nomine alter alteri aliquid dant, ut alter à lite discedat, certum est, quod ex causa transactionis ita datur, id jure perpetuo in accipientem transferri; neq; per transactionem de causa lites & actiones reservatas, sed sopitas & extinctas intelligi.

IV. Eam differentiam probè observat pax Osnaburgensis: (quæ. uti & Monasteriensis, omnes alias pacis tabulas accurata rerum juriumq; applicatione luperare nobis videtur) nam *art. 3. §. 2.* statuit, quòd *tales restitutiones* (loquitur de iis quæ ex capite Amnestiæ fiunt *d. art. 3. princ.*) omnes: & *singula intelligenda sint, salvo iuribus quibuscunque &c. salvo item litis pendentiis &c.* Contrà, quod ex capite gravaminum restituitur aut conceditur, id jure perpetuo transfertur, *d. pac. Osnabr. art. 5. §. 13. §. 25. §. 33. & pass.* quia ea sunt gravamina seu causæ belli, de quibus transactum est pace. *th. 3.*

V. Præcipuum autem gravamen, præcipuaq; causa belli fuerat reformatio exercitii religionis & bonorū ecclesiasticorum; ut dicitur *in art. 5. in princ.* De eo itaq; in primis pace Osnabr. plenariè transactum, eaq; primaria belli causa plane in eum modum decisa est, ut status ac possessio anni 24. (in quibusdam anni 18) sit immota nec perpetua lex, norma, regula hujus negotii. *d. §. 13. §. 25. §. 33.* Ex hac itaq; causa nulla lis vel actio de bonis ecclesiasticis reservata est; sed sola amicabile composio, quæ est in arbitrio partium.

VI. Hinc

VI. Hinc verò apertissimus est sensus pacis Osnab.
in art. 4. §. Electori 8. ubi conservatur Episcopo Wormatiensi coram competente iudice actio in quædam, quæ in Palatinatu prætendit bona ecclesiastica. Non enim reservata ipsi actio fuit in causa exercitii religionis, & quæ cum eo restituenda erant, bona ecclesiastica; quia de eo, tanquam de causa belli, plene transactum fuit. *th. præc.* sed in aliis iuribus quæ pendente bello occupaverat, & ex lege amnestiæ restituta erant Serenissimo Octoviro Palatino: Episcopo enim etiam in singulis prædiis, si quæ in Palatino territorio sita haberet, prætendebat superioritatem territorialem: hæc prætensio ex lege Amnestiæ ipsi reservanda fuit. *per th. 3. & 4.* Idq; ipse pacis tenor certissimè demonstrat; quia *in d. art. 4.* qui reservationem eam continet, tractatur de restitutione ex capite amnestiæ, uti *ex princ. d. art. 4. & art. 3.* patet: non de causa gravaminum, quorum tractatus incipit demum *art. 5.*

VII. Igitur hanc restitutionem ex causa amnestiæ Episcopus viâ juris tantum petere potest, non viâ facti procedere; quod clarè quoq; dicitur *in d. art. 4. §. 8.* At restitutionem exercitii religionis, & quæ eò pertinent, bonorum ecclesiasticorum, ne viâ juris quidem *th. 5.* Quòd si igitur Palatinos ab exercitio religionis & possessione bonorum de facto expellit, quos ex eâ causa ne viâ juris quidem potest, multiplex crimen violatioque pacis ac juris concurrat.

VIII. Restitutio ergo hic fit eorum, quæ (I.) omnium iudicio iniuria ablata sunt. (II.) Quæ iudicio unius saltem partis aut eorum, qui eandem causam sequuntur. (III.) Non etiam eorum, quæ omnium iudicio ritè & valide acta sunt. Estque pactum tale vel mutuuum,

ut utrinq; restitutio fiat, ut in Pace Osnabr. vel ex unâ tantum parte; qualis est quam Dux Romanus Philippo Regi obtulit. ea lege. ut ille omnia restitueret. Liv. l. 32. cap. 10.

IX. Hac ergo lege adjecta non demum res jure postliminii, ubi in nostram potestatem reversæ, ut in Sect. 2. aut ubi damnorum autores in nostro amicove territorio deprehensi sunt, recuperantur: ut Sect. 3. sed omni modo vi pacti restituuntur: confer. Sect. 5. th. 3. & seqq. etiam si tertio venditæ vel donatæ sint: adeò ut nec pretium debeat, nec onera servitutû, pignorum &c. interim imposita valeant. Uti in pace Madritensi de anno 1526. art. 27. & art. 32. cautum, ut ministri Regis Galliæ rationes reddant, & reliqua præstent. Idque exigebat prædictus Dux à Philippo Rege, ut res redderet, quæ comparerent; cæterorum æquo arbitrio aestimatio fieret, Liv. d. c. 10. Modò aliter conventum non fuerit, quod variè fieri solet. vid. pac. Hispano-Belg. de anno 1648. art. 24. 31. 36. & pasf. Verviniam de anno 1598. art. 7. 8. Sveco Danicam de anno 1645. art. 21. & seqq. apud Loccen. Hist. pag. 877. &c.

X. Quæritur autem, an si quis res jure belli cepit, & postea eas vendidit, emtor suo periculo eas restituet, an pretium repetet? Resp. Restitutio fit possessoris periculo, quia in rem fit, & venditor tum, cum venderet, dominus fuit: nunc verò post legem restitutionis possessor sine justâ causâ possidet; uti factum est in d. pace Madritensi art. 27. Nisi aliter convenit, ut in d. pace Hisp. Belg. art. 31.

XI. Quæritur porrò, an, ut res, ita & fructus medii temporis restituendi? Disceptant id Dd. ex jure civili apud Gudelinum de Jure pac. c. 5. sed utrinq; perperam. Aliud

Aliud scilicet est, si in genere restituendum dicitur id, quod ablatum est; aliud si certa res: si illud, fructus quoque percepti sunt restituendi; tum quia illi quoque ablati sunt, quos alias percepisset dominus: tum verò, quia hæc restitutio generalis est, quæ quicquid ablatum est, atque adeò omne damnum, reparatur, ut nihil amplius absit. *th. 1.* Quod factum in d. pace Madritensi *art. 27.* etsi frequentius fructus remitti pacto soleant: ut in Pace Osnabrug. *art. 4.* §. pen. in pace Hisp. Belg. de anno 1529. *art. 31.* Ver-
vinia de anno 1598. *art. 7.* Pirenæa de anno 1619. *art. 28.* in fin. Nec movet ratio Gud. *d. l.* quod hosti jus fruendi competit: nam & dominium competiit, & tamen restituitur: quia non queritur, quid juris habuerit, sed ad quid ex pacto nunc teneatur: nec plus juris in fructibus habuit, quam in re.

XII. Si verò certæ res restituenda dicitur, fructus percepti non veniunt restituendi, sed tantum qui adhuc in re pendent, ejusque pars sunt: duo enim hæc distincta & diversa sunt; res & fructus. qui à re separatus est: Ergo, si sola res restitui iussa est, fructus iusti non sunt: quia alia atque alia res est. Indubiè igitur ex liberalitate mera, non ex debito fuit, quod Caligula iis; quibus regna ablata restituit, fructus quoque; medii temporis adjecerit. *Svet. in Calig. c. 16.* nam & ipsa regnorum restitutio liberalitatis erat, quia jure victoriæ ea populo Romano cesserant. Atque ita ex pace Pirenæa, loci restitui iussis, fructus restituti non sunt. *art. 44.* & *seqq.* Et Palatinatus inferior ex pace Osnabr. & Monast. restitutus est, sed sine fructibus medii temporis.

XIII. Ex lege generalis restitutionis itaque; quæ omnia belli jure in jus antiquum, quod ante bellum fuit, revertuntur, non res tantum, sed & captivi utrinque; dimittun-

mittuntur, quod in plerisq; etiam pacis tabulis expresse cautum reperitur: Nec lytron seu pretium libertatis debent, nisi ante pacem id promissum fuerit; ea enim omnium consensu licita pactio & hosti data fides servanda est, *th. 8.* ut cautum in pace Sveco-Polonica de anno 1660. *art. 14. 23. 27.* apud Loccen. *Hist. Svec. pag. 910.*

XIV. Hinc & quicquid damni quocunque scelere vel injuria datum est, sarcitur; *conf. Sect. 5. th. 7.* & quicquid nominum, solutionum, obligationumque vi extortum est, rescinditur, etsi debitor apud nos non inveniat. *conf. Sect. 10. th. 5. & seq.* quia ex lege hac quicquid vi bellica mutatum turbatumq; est, in jus pristinum redigitur. *th. 8.* Nec dubium est, si hostis aliquem ad paciscendum adegit, nihil petere posse: etsi enim ea quæ jure valent, restitutio non tollat; *th. 8. n. 3.* tamen, quia hostis vicissim judicio partis tenetur, nulla est actio: *Sect. 3. th. 18.* & cum hoc verum sit, in cæteris speciebus; nedum ubi expressa lege cautum, ut restitutio injuriæ fieret.

XV. Quin & quæ publico nomine contributionum vi metuq; promissa sunt, exigi non possunt; quia hostis vicissim teneretur ad restitutionem damni ex hac lege expressa, qua restituuntur etiam ea, quæ unius tantum partis judicio pro injuria habentur; *th. 8. n. 2.* ut patet exemplo eorum quæ postliminio redeunt: Unde in specie reservari contributiones solent. *Sect. 3. th. 19.*

XVI. Qua ratione etiam sententiæ, judicia &c. in casibus *Sect. 5. th. 14.* per hanc legem plane refiguntur; nec vim juris vel judicati obtinent: uti *in d.* pace Madritensi *art. 27.* Vervinia. *art. 8.* Pirenæa. *art. 30.* Sveco-Danica de anno 1645. *art. 24.* Nisi aliter cautum.

XVII. Idemq; de transactionibus vi extortis dicendum, *th. 8. n. 1. 2.* Quod & statuitur in Pace Osnabr. *art. 4. th. 46.*

th. 46. Nec has species amnestia, quo minùs infirmentur defendit; nec sustinere cadentia hæc jura potest: ejus enim rationi derogat lex expressa, ut restituantur in priorem statum; quæ omnia ferè, quæ amnestia aliàs contineret, solvit ac destruit. Neq; hoc casu amnestia ac injuriarũ litiumq; abolitio alia lege sancita intelligitur aut valet, quam si verus possessio conditioq; restituta sit.

XIIX. At dispositiones in odium alterius partis factæ non rescinduntur; nisi in specie id dictum fuerit. Ut in pace Hispano-Belgica *de an. 1648. art. 61.* apud Brachel. *d. l.* quia etsi in odium partium, tamen sponte factæ sunt, & valent ex arbitrio disponentium, donec à priore voluntate recessisse eos appareat.

XIX. Transfugæ autem, alique criminum rei, qui ad hostem transierunt, restituendi quoq; omnino sunt: nec impedit amnestia, quò minùs reddi eos necesse sit; at pœna per eam remissa videtur, quatenus potest.

XX. Intelligitur autem hæc restitutio (I) deductis impensis in rem, quæ restituitur, factis; de iisque ex æquo & bono statuendum: quod ita disponitur in pace Hispano-Belgica *de anno 1648. art. 34.* apud Brachel. *d. l.* & Aitzem, *d. l. (II.)* in locum quo res fuit initio belli. *th. 1. & 3.* Unde cum Galli contra expressum & speciale pactum Cameracense retinerent Caletum, infamis ratio & oratio Cancellarii Gallici fuit, non magis Caletum, quam Lutetiam, alio bello possessam, repetere Anglos posse. *vid. Cambd. ad annũ 1559. p. 18. & ad an. 1567. p. 126.* Pessimè quoque, cum Veneti ex hac lege repeterent castrum, quod ipsi initio belli, Tridentin^o autem initio induciarũ tenerant. Alciat⁹ pro Tridentino respondit. *Gent. 2. c. 12.*

XXI. Cæterum circa restitutiones rerum duæ regulæ statuendæ sunt. (I) quoties lex restitutionis est universalis, *quicquid in specie exceptum non est, restituendum*

tuendum venit. Uti in Pace Olnabr. restitutio generalis est; art. 2. & 3. excipiuntur quædam in art. 4. §. pen. Contrâ ubi amnestiæ clausula simpliciter adjecta est, & quædam tantum restituenda, omnia bello turbata remissa intelliguntur, nisi in specie quædam reservata sunt.

SECTIO VII. QUIBUS MODIS CESSET AMNESTIA.

- | | |
|--|--|
| <p>1. 2. 3. Cessare amnestiam
(I) in delictis, quæ à Principe remitti non possunt. Et quæ nam illa sint?</p> <p>4. 5. 6. Ostenditur, Principem subditorum jura per amnestiam auferre posse, & quatenus.</p> <p>7. Item legibus fundamentalibus per pacem & amnestiam derogari posse.</p> | <p>8. 9. Etiam de bonis ecclesiasticis principem pace transigere posse.</p> <p>10. (II) Cum Pyratibus & Prædonibus quousque cesset. Item (III) cum Turcis.</p> <p>11. Et (IV) In induciis.</p> <p>12. Ευμωχία seu societatem per inducias iniri posse, non verò propriè amnestiam seu amicitiam.</p> |
|--|--|

Cessat illa (I) in iis delictis ac injuriis, quæ remitti à principe non possunt; uti homicidia voluntaria, quæ non jure belli commissa, nec aliam à pœnâ ordinariâ exculationem habent. Hujus enim pœnæ, jure gentium & divino in homicidas constitutæ, gratiâ fieri non posse, integro consilio deducit Plotus, Comes Pernati; quod est in tom. 2. Consil. Zileti. Conf. 73. Idem Senato Mediolanensis respondit Ferdinando I. Cæsari, cum Comiti de Tirionibus cædis gratiam facere gestiret: unde filio ejo Maxim. II. ut lege ageretur, rescripsit. *d. conf.*

d. com
re ve
Atq;
Cron
nuic
Und
dam
cont
Cam
crim

Tyr
fuer
Nan
per o
biur
ter t
quæ
tera
mne
ejus

inju
pœn
mne
deli
e. 39
dico
trin
& a

loc
fi v

d. conf. 73. Et Alexander M. cum exules Græciæ revocare vellet, excepit cædis damnatos. *Jusb. lib. 13. Hist. c. 5.* Atq; id in specie reservatum in pace Anglo-Belgica cum Cromwelio inita. *art. 27.* Quod & aliquoties obtinuit ex responso Facultatis Juridicæ Heidelbergensis. Unde omnino improbandū est, quod Maxwellius quidam amnestiæ beneficio impunitatem cruentæ cædis contra Ihonstonios consecutus à Rege Scotiæ dicitur. Cambden. *in Hist. Elisabeth. part. 3. ad ann. 1585.* Talia crimina quoque sunt adulterium, perjurium &c.

II. Nec mover, quòd amnestia Athenis, occisis 30. Tyrannis, qui legitimi ejus populi Rectores constituti fuerant, & Romæ, occiso Cæsare, sancita tamen fuerit. Nam Tyrannum, qui verè talis est, occidi posse semper commune gentium judicium fuit, nec de jure dubium est. Insanum autem hic est, non distinguere inter tyrannum & magistratum; insanius autem hanc quæstionem Theologicam facere, quæ juridica est. Altera autem, quæ Romæ statuta est ob cædem Cæsaris Amnestia, non valuit, sed nihilominus cædis vindicta ab ejus auroribus sumta est.

III. At criminum, quæ in Reipublicæ aut Principis injuriam commissa sunt, ut perduellionis, aut quorum pœna jure civili constituta est, gratia à Principe per amnestiam fieri potest. Nam & Aurelianus amnestiam delictorum publicorum decrevisse ait Vopisc. *in Aurel. c. 39.* & S. Aur. Vict. *de Cæsar. in Aurel.* Et insignem proditorem ea comprehensum retulimus *Secl. 5. th. 9.* ex Petrino Bell. *part. 10. §. 17.* Excipi aliquando solent banniti, & alii, de quo *Secl. 4. th. 9.*

IV. Cum verò per amnestiam tum reddantur bello capta, tum remittatur jus recuperandi bello amissa, si vel ipsa vel damnorum autores in finibus nostris de-

prehendantur, *Sect. 2. & 3.* hinc quæritur. An Princeps per amnestiam jus ita subiectis quæsitum, auferre possit? Aff. Pacis enim parandæ & Reipublicæ tuendæ causa Princeps subditis jus quæsitum quoque jure gentium auferre potest. Unde, etsi res illæ in tertios alienatæ, venditæ, donatæ sint, tamen ob publicam utilitatem statui potest, ut restituantur, idque omnino consequens est imperii & officii tuendæ civitatis.

V. Multò magis verò potest bello amissa hosti pacem relinquere sublato postliminio, vel capta reddere. In his enim non est jus certo quæsitum, sed utrinque controversum; cum alter contendat jure captum, alter neget. *Sect. 1. Th. 3.* Hæc controversia cum publica sit. certum est, transigere de ea Principes per amnestiam posse, ut res vel retineantur, vel reddantur: nec videri eos, jus civibus suis quæsitum propriè auferre, cum jure suo de re utrinq; dubia, & de qua, dum bellum est, lis adhuc pendet, pace seu amnestia transigitur. Unde & illi tenentur ex pacto reddere, quib9 venditæ vel donatæ res fuerunt, quia res transit cum sua causa, nec hi plus habere possunt, quam autores à quibus accepere.

VI. Nec movet, quod *Dd.* statuunt, civi, qui prædiorum suo in commune commodum cedere cogitur, pretium vel ex fisco vel ex contributione omnium solvendum esse. Nam hoc factio civi jus suum certum pleneq; quæsitum auferretur, quod princeps quidem ob necessitates reipublicæ potest, sed, cum hoc onus reipublicæ commune sit, quod omnes cives ferre debent, non potest id uni soli imponi; sed quod is plus sua parte præstitit, ei farciendum est. At in nostra specie nequidem jus certò quæsitum auferretur; sed de dubio & controverso, de quo lis adhuc inter Principes, durante quippe bello, pendet, pacto pacis transigitur. Nec de onere

onere comuni reip. agitur; sed de singulorum damnis casu bellico datis, de quibus certum est quod Princeps ita statuere possit: nam & prædarum concessio est merum beneficium Principis, cui soli bello capta jure gentium acquiruntur, & qui proinde iis legem dicere modumq; statuere potest. Bello verò amissa casu periisse censentur, cum quod bello accidit, casu fieri constat. *l. 15. §. 2. ff. locat. conduct.* quem nec Princeps nec reliqui cives præstare tenentur.

VII. Nec mirum, Principem jura hujusmodi privata subjectorum remittere pacis causa posse, cum tanta sit ejus in pace concludenda potestas, ut legibus quoq; fundamentalibus, ut vocant, regni derogare possit, pacis & Reipublicæ causa. Factum id in Pace Cameracensi, *de anno 1529. art. 16.* ubi Rex Galliarum legi Salicæ: & *art. 20.* juri Albinagii multum detraxit. In Pace Osnabrug. & Monasteriensi Septem virato Imperii Aureæ bullâ constitutus, in octoviratum versus est. vid. Pac. Osnabrug. *art. 4. §. 5.* ubi dicitur, *id publicæ tranquillitatis causa ab Imperatore & Imperio constitutum.*

XII. Illud quoq; indubium est, Principem de bonis etiam ecclesiasticis pacis causa transigere. eaq; alienare posse: idq; duplici jure: Cum enim de iis bonis controversiæ inter Principes vel Episcopos, qui jus belli gerendi habent, esse, & bella geri possint; necesse omnino est, ut inter eosdem etiam pax valida de iis fieri queat. Neque enim ratio patitur, ut de his bonis bella geri, non autem componi possint; atque ut per vim disceptandi de iis, nulla autem transigendi decidendique via aut ratio sit. Quid verò periculosius funestiusq; rei ecclesiasticæ statui posset, quam negare, pacem jure validam de rebus ecclesiæ fieri posse, sed exclusa spe & potestate pacis faciendæ, necessario ad

interneccionem Ecclesiasticorum bellandum esse? Quid si cum Barbaris bellum geratur, iisq; cedendum integris principatibus, & quæ in iis continentur, bonis ecclesiasticis; quod factum in bellis inter Hungaros & Turcas, aliisque. Nemo enim, opinor, qui sit sanæ mentis, hodie statuet, infidelibus pacem servandam non esse; hos enim perfidiæ autores, si non deterreret, at refutat luctuosa illa clades Varnensis, quâ divina Nemesis, exemplo ad omnem memoriam tremendo, ulta est perfidiam Christianorum, qui pacem cum Turcis factam, hoc prætextu, quod ecclesiæ damnosa esset, autore Pontifice, ejusque legato, Cardinale Juliano, ruperant: ubi tam manifestum apparuit Dei judicium cæsis Cardinale, perfidiæ autore, & Rege perjuro, ut ipsi Turcæ eam cladem tanquam perfidiæ pœnam (ad publicam Christianorum infamiam, quam nulla unquam deletura est ætas) agnoverint, maximisq; gaudiis celebraverint: quod præter Chalcocond *de reb. Turc. lib. 6. § 7.* Leunclav. *Ann. Turc. ad ann. 1444.* referunt Petr. Callimach. *lib. 2. de Pugna Varnensi.* Dubrav. *Hist. Boh. lib. 28.* Naucler. *Chronol. gener. 49.* Joh. Nadanyi *in Flor. Hungar. lib. 3. c. 10.* qui hunc ejus fuisse tumulum ait;

Romulidæ Cannas, ego Varnam clade notavi;

Discite mortales non temerare fidem.

Me nisi Pontifices jussissent rampere fœdus,

Non ferret Scythium Pannonis ora jugum.

Atque hoc jus transigendi de bonis ecclesiasticis per pacem vel amnestiam concedit quoque seculari potestati Gudelin. *de jure pac. cap. 5. § 6. 9.*

IX. (II.) Competit id jus paciscendi de bonis ecclesiasticis, Principibus ex jure imperii & summæ potestatis, quam Principes æque in ecclesiasticos eorumq;

rumq; bona. ac in seculares habere tam certum est ac evidens, ut nullo unquam jure de eo dubitarum nec in ulla unquam gente id controversum fuerit, quod ex omni jure demonstravit Magnificus Dominus Præles *Disp. de fundat. in territ. pot. tit. 2.* Omnium minimè autem (quicquid recentiores Canones moliantur) inter Christianos Impp. id dubium fuit, qui inde à Constantino Magno omnes, & in omnes indistinctè personas ecclesiasticas, & de omnibus juribus ac rebus earum, leges pro arbitrio, & cum plenariâ potestate statuerunt: quemadmodum innumeræ hæ leges publicè hodieque extant in *Codice Theodosiano*, & *Justiniano*, adeoque in ipso jure communi; quin & in *Capitulari Caroli Magni & Ludovici Pii*, quo continentur septem libri & amplius, legum ecclesiasticarum, quæ à Lindenbrogio editæ *de rebus & personis ecclesiæ*, & per plurima secula inter Christianos nemine contradicente observatæ sunt. Ut adeò nullo obtentu negari Principibus possit jus per pacem vel amnestiam de bonis ecclesiasticis statuendi & disponendi.

X. Cessare (II.) amnestia videtur cum latronibus, piratis, prædonibus & rebellibus: idq; plures ita sentiunt. Verùm, etsi ratione cædium ab iis perpetratarum &c. non valeat amnestia; per *th. 1. & 2.* tamen aliæ eorum injuriæ, quarum Princeps gratiam facere potest, per amnestiam iis remitti, recipique illi possunt *th. 3.* (III.) Paci quoq; cū Turcis non facile additur. ut ap. Thuan. lib. 55.

XI. Cessat deniq; IV. regulariter Amnestia in induciis & armistitiis; cum enim per ea tantum suspendatur ad tempus laceffendi licentia, finitisq; iis cuiq; partium integrum sit iterum persequi injurias hostium, hinc cum eorum natura pugnat perpetua & illimitata injuriarum oblivio. Unde nec in tractatu Armistitii
Cæsa.

Cæsareo Gallici, in Gallo Hispanici, qui uterque Ratisbonæ. d. 7. Aug. 1684. conclusus est, addita est amnestiæ clausula. Nec in induciis Terouanensibus *ann. 1537.* & Nicensibus *ann. 1538.* inter Carolum V. & Franciscum I. initis, dicitur quòd fida amicitia vel amnestia esse debeat, sed tantum, quòd fidæ induciæ & suspensio armorum &c. Quod & observatum factis induciis inter Carolum V. & Henricum II. Galliæ Regem, *ann. 1555.*

XII. Posset tamen & in induciis aliqua amicitiaë pactio fieri, limitata scilicet ad tempus induciarum, ut factum in *Armistitio Cas. Gall. art. 3.* Item in induciis Belgicis, *de ann. 1509.* apud Baudium *de induc. bell. Belg. ad fin. art. 4.* Nam & in tædere Atheniensium & Argivorum apud Thucyd. *l. 5.* conventum est *συμμαχίας εἶναι ἑκατὸν ἔτη. ut societas sit 100. annos.* Sed id primò supervacuum, nec pactio induciis adjecta est, sed induciæ ipsæ; ipsa quippe induciarum naturâ id continetur, ne interim invicem lædant. Cæterum vix est ut dici queat amicitia, nedum amnestia seu oblivio injuriarum, si post 100. annos eas iterum persequi liceat: at *συμμαχία* seu societas temporaria esse potest: Ut proinde rectè Veteres *συμμαχίαν* quidem induciis quoque tribuerint, non verò *φιλίαν* seu amicitiam; nedum amnestiam: quia amicitiaë clausula non videtur pertinere ad pactiones, quibus inimicitiaë & lites non sopiuntur & tolluntur, sed suspenduntur. Impropiè igitur in prædictis Armistitiis & induciis accipitur, nec in aliis facile occurrit.

F I N I S.



CONSECTARIA

I.

Pesimè Cicero C. Julium Casarem jure occisum statuit.

II.

Quid juris sit civibus in tyrannum, merè Juridica questio est, neq; ad suggestum, nedum ad certam confessionem fidei pertinet.

III.

Nulla major injuria Regibus ac Principibus inferri potest, quam cum sacrosancta ipsorum Jura & inviolabilis potestas tyrannis asseruntur, & cum iis Ipsi miscentur & confunduntur.

IV.

Crimen læsæ Majestatis est tyrannis asserere impunitatem, nedum in violabilitatem.

V.

Atheismi præcipua species est, religionem applicare rationibus Politicis.

K

Jam

* * * * *

JAm Te quarta meo sustentat limine mesfis,
 Grate inter paucos Hospes, nulliq; secunde!
 Omnibus intentum libris, doctasq; legentem
 Asiduo sudore artes, ceu vallibus Hyblæ
 Sedula apis variis ex floribus optima cogit
 Mella, favosq; replet, venturi haud immemor ævi.
 Finis adest operum tandem, limenq; paternum
 Te revocat, fructusq; petit, sperataq; tanti
 Munera Depositi. Sed Tu prius ardua scandis
 Limina legiferæ Themidos, foecundaq; promis
 Pectora, disertans graviter, quid publica Jura
 De confirmando disponant foedere pacis?
 Quidve habeat juris, quondam qui captus ab hoste
 Ad sua regna redit, & limina nota salutatur?
 Maeste Tuo ingenio! Sic Te Tua Fama manebit
 Æterna ad Viadrum. Reducem sic patria amabit,
 Lætâq; portarum venientilimina pandet.
 Et mea Musa piis precibus comitata sequetur:
Ibone, quo virtus Tua Te, Fortunaq; ducunt,
Grandia laturus meritorum premia, Patris
Gloria, Matris Amor, Fratris Decus atq; Columna!

*Ita Honoratissimo Domino Affini, Auditori
 juxta ac Domestico suo exoptatissimo
 publicè Disputanti, applaudit debite,*

MARCUS Rhode / D. Cod. Justin. P. P.
 Ordin. & Jur. Facultatis Senior.



ERRATA

*Pag. 1. n. 1. lege: odiorum tenaces p. 2. lin. 22. Ulcerationum.
p. 3. l. 1. pervagata. n. 10. extorta p. 5. l. 23. controversa. p. 6.
l. 5. partium. l. 30. pro: ex illis &c. lege: illa ex bellis na-
scuntur, ex hac bellum. p. 8. l. 29. juribus. p. 18. l. 3. deden-
tis sed suo. p. 21. l. 23. dele: inte p. 25. l. 22. Æn. l. 23.
quæve. p. 28. l. 28. se p. 31. n. 10. II. ratione p. 32. l. 22.
inexpiabile p. 34. l. 13. incendiarium. p. 45. l. 24. processu
p. 47. l. 14. Verviniana. p. 60. l. 28. pro nc. l. ac.*

Cætera candori lectoris relinquimus.

ULB Halle

3


002 725 959



TA → OL

WNA





B.I.G.

Farbkarte #13

12. DISPUTATIO JURIS GENTIUM;
DE *Pr. 3. num. 18.*
POSTLIMINIO *8*
IN PACE, *1691, 66*
ET

P. 469.

AMNESTIA,

Quam
DEO ANNUENTE,
PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO, PRÆNOBILISSIMO, CONSUL-
TISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO

DN. HENRICO COCCEJO,
JCTO FAMIGERATISSIMO,

SERENISSIMI ac POTENTISSIMI ELECTORIS BRAN-
DENBURGICI CONSILIARIO, FACULTATIS JURIDICÆ OR-
DINARIO, & PROF. PRIM.

ANTEA
SUMMI REGIMINIS ELECTORALIS PALATINI CONSI-
LIARIO, & SUPREMI COLLEGII REVISORII ASSESSORE, IN
ALMA HEIDELBERGENSI DECRETAL. PANDECTAR. & JU-
RIS GENT. P. P. ORDINARIO MERITISSIMO,

AD DIEM XXII. AUGUSTI AN. O. R. MDCXCI.
Placido Eruditorum Examine submittet

JOHANNES FRIDERICUS HORNIG,
Hallâ Saxo. A. & R.

Francofurti ad Viadrum, Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

Denuo recusa 1712.

